miſſum,& huc ad me propter uiam perlongam & non ſatis tutam raro admodum nuncij adferuntur. Proinde te per Muſas Suſſannæe rogo; atque etiam multis precibus obſecro; ſi qui ſunt Lutetiæ tua mandata curaturi; commendatione editionis maturitatem adiuua. Quod facturum recepi; eius ſermonis inter nos in diſceſſu ultimi; quo ad omnia omnino alterum me fore te pollicebaris. Hæc ideo mi Huberte Hubertus ad te ſcribit; ut uideres tuas eſſe partes prouidere; ne turpi neuo ſpecioſum corpus inquinetur; omnēque diligentiā adhibere; ut quamemēdatiſſime extat. Porro ad hoc explicandum negocium appoſitior nemo uidetur quam P. Vidouæus. Hoc uelim in maximis; & maxime neceſſarijs rebus habeas. Vale; Burdegalæ. Nonis Iunijs.

DE EODEM G. HERISSAEVS FRAtri ſuo Lud. Heriſſæo Collegij Michaelici apud Bituriges Primario.

Huc ades; o frater; tibi prodigioſa loquemur;
Vnum diuerſis mentibus eſſe uirum.
Scaliger eloquio Marcus; Maro carmine; Mauors
Armis; re medica magnus Apollo tibi eſt.

IACOBVS CAMBRAEVS D. GVL. Canbræo patruo ſuo Biturigum Cancellario.

Ornatur numero tua bibliotheca librorum
Nobilium; Crœſi nec tibi pluris opes.
A duce natura deductum factus ad unguem;
Spectas alta; nihil cuncta caduca facis.
Vt Cato; librorum tu maximus heluo; dici
Si modo tam dura res bona uoce poteſt.
Hæc inter reliquas oratio digna locari;
Quas tua permultas bibliotheca capit.

35.3.A.2

IVLIVS CAESAR SCALIGER PETRO RVBRIO PLOTIASCI COMITI AC NONI REGVLO

S. D.

DIGNITATEM meam P. Rubri, quam cum tua ſemper cõiunctam eſse voluiſti, & antea ſæpenumero æquum arbitratus ſum, & hoc maxime tẽpore cũ illa cauſſas quoque communes coniunctaſque habere debuiſse exiſtimaui. Quo tempore, cum ſceleratiſsimo cuique facile ſit, aduerſus optimũ quẽque peſsima facinora audere: tum neceſſarium vtriuſque officium eſſe iudicaui, & qui eorum audaciȩ impetum vellet cohibere, & qui delere prorſus poſset. Quorum alterum P. Rubri propter animi mei ſimplicitatem, alterum propter familiȩ tuȩ nobilitatem ſatis habere virium ad præſens negotium conficiendum arbitrabar. Nam qui Eraſmi conatus noſset, contraque cum voluntatem meam, tum opes tuas, quibus ea foueretur, non ignoraret; neque vllum

illo aptiorem vtrique noſtrum inimicum, neque aut me propenſiorem, aut te fortiorem patronum vindicatoremque publicæ libertatis deprehendet. Quid enim illo inſolentius, qui neque alios monere ſciat, neque moneri velit ipſe? prauuſque ſit, non vt ipſe male ſentiat: ſed qui, vt alios faciat deteriores, a male ſentiendo nũquam ſuũ animum abducere voluerit. Quid me apparatius ad amentiſſimas impreſsiones ſuſtinendas? Quid te prudentius ad cõſulendum? conſtantius ad prohibẽdum? fortius ad depellendum? opulentius ad ea cuncta perficienda? quibus eorum omnium functiones officiorum facilime cõmodiſsimeque comparari poſsunt? Ille igitur cum ex multarum commentationum curſu, quę ad religionis noſtræ interitum pertinerent, optimorum virorum non tam vocibus, propter animi peruerſitatem, reuocatus, quam fortitudine ob vęcordiam in eo ipſo retardatus eſſet; ne gratis vnquam malus videretur, in obtrectatiõe Ciceroniana clari nominis precium quęrere inſtituit. Quę cauſſa cum a me primo agitata vehemẽter, ſupinum hominis animum de improuiſo perculiſſet; a multis doctis viris repetita adeo illum exacuit, atque exacerbauit, vt coactus fuerit, maiorem calamitatis cladiſ-

que noſtræ, quam afferret, quam exiſtimationis ſuæ, quam amitteret, habere rationem. Sublata enim totius cauſsæ ſuæ conſtitutione, ad miſerrimam illam confugit aram, quæ nequiſsimo cuique ſeruo ſemper patuit: vt in flagitio manifeſto deprehenſus, redargutus, tortus pertinaciſsime inficietur. Itaque ille extantibus etiam Dialogi ſui temerarijs inſectationibus, ab ſeſe illarum quicquã cõtra Ciceronem negare auſus eſt. Cumque id aſcripta quadã epiſtola eidem Dialogo quãtunuis impudentiſſime teſtatũ reliquiſſet: vt amicis iniuriam, quam ex oratiõe mea accepiſſet, expoſtulãtibus perſolueret fidem, ad eorum duos P. Merbeliũ atque Io. Baptiſtã Laurentiam literis vnis ſcripſit: quibus cęteros omnes, qui de ſe aliter ſentiãt, ſtolidos vocat: me vero non ſolum quod falſa ſcripſerim, impudentem: ſed etiam tum hoc ipſo, tum iccirco, quia illius orationis laudem, quæ alterius cuiuſdam eſset, ſuffuratus aſciuerim mihi, mendacem dicere non erubuit. Ego itaque P. Rubri, quem & ſuaſu, & iuſsu tuo, quorum vtrunque perſanctũ apud me ſemper eſſe debuit, vides die noctuque maioribus rebus inſudantem: & meo fato atque voluntate ſæpe ſuccepiſſe faciendum, vt a vulgaribus ſtudijs animũ

amouerem meum, coactus feci, vt deinte-
gro deſcenderem in certamen: quod a me
iam decertatum eſſet. Quid enim mihi cũ
ignauiſsimo hoſte, cuius impetus plus de-
tegeret in ſe timiditatis, quã faceret terro-
ris aduerſario? Itaque reſpõdi illi perpetua
oratione, eaque directa ad eos, quibus eas
ipſe literas miſiſset. Quos quãquam equi-
dem & doctos, & probos viros exiſtima-
bam, tamen minus ciuiliter feciſse dicam,
qui, cum eas mihi perferendas curauiſſent,
a ſe nihil adderent literarum: quibus ego
de ſua voluntate certior fierem. Illis ego
adeo ſordere viſus ſum: vt qui ab ſeſe nihil
humani ducerent alienum, etiam verborũ
tenus ſalutem inuiderent mihi. verum de
ipſis, cum eis libuerit. Nam quod ad me
attinet, noſti quam omniũ mortalium, qui
vnquam aut extiterint, aut olim futuri ſint
minime ſim ambitioſus. Verum vt clarius
orationis meæ argumẽtum intelligeretur,
præpoſui Eraſmi epiſtolam: quã latinam,
videbis, ridebisque. In ea enim ſcribenda
plus ſapientię, atque latinitatis, quã in me
dei ad deſcribendũ potuit deſiderare. quã
quidem publici boni cauſſa emẽdaſſem:
niſi ille ſuo mallet arbitratu rideri, quã iu-
dicio meo commendari. Eam igitur ante
diem pridie iduum Septemb. cum vocatu

præſidis prouinciæ in curiã veniſsem, reducenti eũ mihi officij gratia, reddidit Bibliopola noſter eo pręſente. Quę fuit cauſſa, vt eius iuſſu, tametſi vindemiæ tempore familiaribus curis vel negocioſiſſimis impeditus vix ſatis ad viuendi rationes otij nactus eram, nedũ vt literarijs ſtudijs perturbatum animũ applicarem, impulſus ſim ad eum vltro labore capiendum; qui mihi fatali mea neceſſitate impoſitus fuiſset. Itaque poſtridie eius diei orationem hãc exorditus, eam haud ita multo poſt abſolutã, ad te muneri mitto. Qui enim cũ alibi ſępe antehac, tum Lutetię nuper nomen meum aduerſus illius alumnum quendam pueriliter oblatrantem nos defendiſti, nunc fidei tuæ capias fructum, tanquam coronam quampiam militarẽ: quæ ob conſeruatam ſalutem debeatur a me tibi. Meq; perfortiter eam in acie ſtationem tenere videas, in qua ciuem tuum vel periculoſiſsima ſeruaueris. Vale. ex Viueſiano, ſeptimo calẽdas Octob. M. D. XXXV.

O VNANIMES
vnicis literis reſcri-
bo: quāquam & alio
qui ad compendiū
me redegit chiragra
& podagra: aut, vt
melius dicam, hola-
gra. Cū a nullo ma-
o minusmihi timue
rim, nunc assidua lucta eſt, & plane capita
lis. Ante dies aliquot reſpōdi paucis. Eam
epiſtolam miſi ad negotiatorem a vobis de
ſignatum. Hæc illum fortaſſis anteuertet.
Inhumanus ſim, niſi mihi gratū ſit veſtrū
erga me ſtudium. Coſultius tamen arbitror
iſtas iuuenum ineptias negligere: quorum
tumultus non alio tendant, quam vt ſecta-
rum autores ſubuerterunt religionē, ita iſti
perdant ſtudia, quibus ſe venditāt: vtque
ex literis humanitatis reddāt literas inhu-
manitatis, & ex camœnis, furias. Libellus,
quem ad me miſiſtis, āte complures annos
acceperam. In eo nihil video, quod ad me
pertineat. Si me faciūt Cicerōis hoſtē, tota
errāt via. Qui ſoli titulum hunc promeren

tur hoc ſeculo, mihi ſũt amiciſſimi P. Bem
bus, Ia. Sadoletus & And. Alciatus. Id qđ
multis illorum epiſtolis amantiſſime ſcrip-
tis declarare poſſum. Nunc narrant Lug-
duni excuſum librum
re Steph. Doleto: cui
& epiſtolę ſtomachi n
mouendi. Eum nond
non eſt animus reſpo
dam, cui nunquam vi
mo, ſed lĩgua nuſquam
mum. Ab hoc, quia ij,
fouetur, mihi ſunt am
bornatum Vratislinienſẽ, cuius libellus vo
litat per totam italiam, nondũ, quod ſciam,
excuſus. Ad me Roma miſſus eſt manu de
ſcriptus: nihil vnquam legi ſtolidius. Iulius
Scaliger Lutetię edidit in me orationẽ ĩpu
dentiſsimis mẽdacijs, ac furioſis conuicijs
differtam: cuius tamẽ ipſum non eſſe au-
torem multis, ac certis argumẽtis comper-
tum habeo, ſed hoc calciamentum ab alio
mihi non ignoto conſutũ ille inquit. Cum
talibus ingenijs luctari nõ eſt animus, nec
expedit. Idem a vobis fieri vellẽ. Quærunt
antagoniſtas, ſi adeſt Auguſtinus Scapinel
lus, qui nuper ad me ſcripſit Ferraria, q̃ſo,
vt homini meo nomine ſalutem dicatis, &
quidẽ de meliore nota, nihil enim vnquam

pectore illo vidi candidius. vobis precor omĩa lęta. Apud Friburgum Briſgoię. 18. die Martis. Anno a natali ſeruatoris 1535.

Eraſmus mea manu.

A tergo. A monſieur Scaliger, demeurant a Agen.

¶ Iul. Cæſaris Scaligeri, Oratio ſecunda.

ET SI ID A VOBIS Eraſmi ſtudio potiꝰ, quã quo mihi gratificaremini factũ putabam, vt eius literę in manus peruenirent meas: non poſſum tamen, quin vobis non ſolum debeam, verum etiam iſthuc ipſum quod debeo palã ac publice profitear. Quippe quorum opera, omnium pene rerũ quod mihi maxime fuerat expetendũ, quinto tandem anno ſtomachus illius mihi compertus, exploratusque ſit. quanquam ea demum ratione ab ſeſe id ita fieri ſibi perſuaſerat, ſuã vt ipſe dignitatem maximo meę cum diſpendio tutã fore arbitraretur. Neque enim ſordes noſtras diuinis reſcriptis ſuis dignas duxit; ad vituperationẽ autem meam magnopere pertinere exiſtimauit; ſi, quaſi

deploratiſſimę ſpei nomen meum cōuicio
perſtringeret modò. Atque hoc ille quidē
vt prudentiſſime ſeſe feciſſe ratus eſt: ita
ego vel generoſe factum confitear haud in
uitus: tantum abeſt, vt iſtius vnquam me
pigeat animi. Animaduertebam enim ta-
citus conſciusque imbecillitatis meę, no-
luiſſe hanc nobis illam gratiam facere: vt
eam hoſti gloriam pareret appellatiōe ſua:
tametſi futura erat inimica illa mihi atque
contumelioſa. Etenim me id neſcire, quod
ſcirent omnes, minime ęquū fuit. Conſecra
ri ab illo immortalitate eos etiam, quos ora
tionis ſuę perſequitur acerbitate. Quare ne
que temere neque cōtumelioſe ab eo com-
miſſum fuiſſe: vt non perinde atque acerri
mum hoſtem vulnerando, ſed quaſi inertiſ
ſimum ignauiſſimumque negligendo ſu-
peraret. Nam profecto ita eſt illi cū animo
ſuo cōſtitutum: vt cū eorum ingenijs, ſic ei
ſcribit ipſe, nequaquam ſit colluctaturus,
qui alienę gloriæ appetentes ſunt. Pulchrū
prudēsq; deus immor. propoſitū animi ne
que ſordidi, neque vulgaris. Nūquā enim
factū eſt, vt cuiuſquā ille noīs gloriam vel
clādeſtinis īſidijs ſolicitatā, vel apertis latro
ciniis appetitā, aut ī ſe trāſmouere tentarit,
aut etiā penit⁹ occuparit. Itaq; ei prōptū at
que ī manu facile fuit, cuicū q; mortaliū oī

um ſemel viſũ fuiſſet, ſilentio ſuo ęternam 6
inducere obliuionẽ. Neq; enim vlla vnquã
ratione hoc potuit natura comparari; vt 27
quicquam lectura ſit poſteritas, quod non
illius vel gratia, vel opera ſit in literis inſti
tutum. Ergo quid reliqui factum nobis eſt,
quod agamus miſeri? Quibus, imminente
iam trepidis ceruicibus noſtris periculo,
non ſolum iuſtę depulſioni nullus eſt reli-
ctus præſidij locus; verum inflicta etiã pla
ga non modo denegatur alieno labore obla
tum, ſed noſtra quoque opera apparatum
remedium prohibetur. Ergo tanta vllo vn
quam in barbaro feritas? tantũ vllo in bar-
baro ſcytha virus coaceruari cumularique
potuit? vt ante rem iudicatã, indicta cauſa,
contra omnem morem omnium gentium,
contra omne naturę ius, quod etiam aduer
ſus ea pericula, quę dei opt. max. nutu pro
ſupplicijs denunciãtur nobis, agitari ſaluta
ia cõcilia iubet, dãnatos velit? Igitur quod
lli ſilentium, qui multa nimis ſibi dixit ca-
pitalia, ſaluti futurum fuiſſet, innocentibus
nobis efficiet perniciosum? Huius ego rei
liberalem monſtroſãque indignitatẽ cum
quo animo perpeti non poſſẽ, indicaſſem
ue ei certos naturę limites regioneſque,
uibus alienarũ laudum ſectoris arrogan-
a definiri deberet, atque ille totos annos

quatuor dubitabūdus nullam nō in partem fluctuanti animo verſaretur, tandē aliquando amicorum monitionibus, inimicorum exprobrationibus, quaſi lōginquo profundoque ſopore excitatus, tāto ātea inter nos cōdicto die, vnius aut alterius obliquo verbi tractu ſuæ ſatisfeciſse dignitati exiſtimauit. ſic enim negotium hoc fortius atque expeditius confici poſſe ſperauit: ſi mendacem me, atque impudentem, etiā que furioſum, id que nō ex propoſito, ſed in trāſcurſu, ac tanquam aliud agens contemptim appellaret. Neque enim contra me congredi ſibi tanto heroi fas putauit ille, cuius aura vel leuiſſime afflatam diſcuti poſſe nebulam ſperaret eam, quam ego contētiore ſpiritu libertatis ob inanis illum gloriolæ fumum, non ſplendorem offudiſſem. Igitur nos humiles animæ multo plus iacturæ fecimus ex contemptu, quam accepta clade feciſsemus. Atque hæc ipſa famæ nominis que noſtri, quam precario concedit, vita exprobrat nobis cum diuinam illam, quā ſtulte nimis appetiuimus, magnanimitatē, tū ignobilitatem noſtram, quā ille ne leuiter quidē aſpicere dignatus eſt. Eſto. Ignotus ſit Eraſmus. Nemo illum conuitioſum, auarum, ebrioſum, arrogantem, delirū, furiam, religionis noſtrę ſcopulū, eloquentiæ veræ

maculam appellarit. nemo vni oĩm culpi-
am appellare auſo aſſenſus ſit. nemo cõtra
ſenſerit. Igitur nos quoque continuo igno
ti: virtus noſtra deſpecta, deiecta, iacens,
obſita, in obſcuro ſita ſit: libertas a perditiſ-
ſimo quoque conculcetur: ergo hominum
ſordidiſſimorũ opinione res tollẽtur ipſę:
prętерita immutabũtur: alia fient: Niſi ex
tet qui Eraſmum vocet viperã generis hu-
mani, hoc ille ſtatim non ſit: ille me ſi inſi-
mulet mendacij, continuo male audiã, idq́
demũ ſim, neque aliud ſim verò, quã quod
ille me eſſe vociferatus ſit. Ac non contrà
integrę clamẽt prouincię, italia: gallia: ger
nania ipſa: ab ſeſe genitum, altum atque
educatum mõſtrum: cuius venenoſiſſimis
norſibus Chriſtiani decus noĩs ſuo in gre
nio nõ ſine oĩm bonorũ gemitu expirarit.
Verũ ego & quod te Eraſme facere oporte
at, & quod abs te omiſſum, me fuit æquũ
õ negligere, nũc expediam. Neq́ enim ſa
s habent viri docti, quod me mentiri di-
as. ad eam perſuaſionem probatione opus
t. Nã qua tu Xenocratẽ puritate, qua M.
caurum auctoritate, aut quibus tandẽ arti
us Pythagoram æquaueris, oſtẽde nobis.
uius vitæ integritati iuſiurandum quod
gibus exigeretur, magiſtratuũ pudor con
onet. tibi ſine teſtibus, quos fingere con-

ſueuiſſes ſine ratione, quę te fingere nun-
quam potuiſſet, liceat, non te eripere dam-
nationi, ſed in eam inſontes contruſos, per-
uerſo iudicio eorum innocentiſſimum ſan-
guinem exorbere, nitẽdum fuit tibi proba-
tiõe: vt vix tum quoque Pythagoricæ inſo
lentiæ par ſis. Eam cum adduxeris, illi tñ
credetur, non tibi. nunc cum nullam addu
cis, multo minus credetur. Hoc tu facere de
buiſti. Ego contra faciam; vt & me probem
nõ eſſe mentitum: & propterea te hoc ipſo
mentitum eſſe. vt non ſolũ ab alijs, ſed etiã
abs teipſo tãto minus credatur tibi. Nullum
enim fœdius mendacium eſt, quam aut vbi
mendacium aſſenſu noſtro comprobamus:
aut alium quempiam mentiendo menda-
cij inſimulamus. Qui enim, ſiue mentitur,
quod tuo exemplo facile facere poterit: ſiue
dicit mẽdacium: quod bono interdum viro
accidere poſſe tui iſti literatores obſerua-
tunt: is auditores fallit tantum. Qui vero
in alterum mendacio ſuo mendacium im-
pingit: is non ſolum ad quos loquitur, eos
decipit, verum etiam de quo loquitur, de
eo detrahit impudenter. Mendax ego in
oratione illa? at qua in parte tandem? An
vero is es Eraſme, qui vitia tua repetita li-
benter audias? At profecto ita ſapis: vt quo
niam non ſemel conſceleratã linguam illã

quam aduerſus veritatem hoſtiliter armaueris: eorũ facinorũ numerũ dictionis pari frequentia æquari velis. Quid ſi, vti ſordemus tibi nos, ita facta tua minus nobis placeant? neque vacet vitę tuæ deſcribundę? Nã quid mihi ad mentiẽdũ cõmodius, atque prolixius viſum eſt, de tua vita, at id teſtiũ nõ eget. De erroribus tuis, alijs impudẽtiſſimis, alijs ineptiſſimis: at ij neque admittunt defẽſionem, propter falſitatem, neque merentur excuſationem, propter temeritatem. De Ciceronis calũnia: quaſi vero eius in laudem illa ſcripſeris. Quẽ ſi, non vt lacerares oppreſſiſti: ſed vt Longolium opprimeres, laceraſti: tãto ſis deteſtabilior qui alienarũ, vt tu vis, ineptiarum pœnas, illum dare cogas. Quid eñ attinebat enumerare tam in corpore, quam in animo quę tibi eſſent viſa vitia Ciceronis? Quid eius orationem, modo declamatoris inepti, modo aſiatici? alias elũbis ianuis? inęqualem, incompoſitam, ſtomachoſam, perditã? quę tu laudum loco poſuiſſe videri cum vis impudẽtiſſime: Quare vbi eadẽ merito veroque atribuuntur tibi, reclamas atque recalcitras? Oſtende nobis quo id tibi iure ſumpſeris atque arrogaueris: vt, cum innocẽtiſſimis viris maledicas, laudi id dari velis cum tibi nocentiſſimo peccata reteguntur

tua, læſū te, deū, atq; hoíes, obteſtať vociſe
feraris, quanquam iſtas præclaras virtutes
animi tui calumniatoris facile concedimus
tibi. Nemo eas it ſurreptū, tibi habeas. Nos
enim, ac perlibenter quidem tam precioſa
ſupellectili carere volumus. Nam quod cō
tra morem noſtrū veſtratibus puſionibus
tuā illam vitioſitatem maledictione imitari
viſi ſumus, lōge aliter a ſapiētibus viris acce
ptum eſt. Neque enim dici ſolet couicium
id, quod ab recto animo proficiſcitur in eū,
qui laceſciuit prior. Etenim ſi ad hunc exi-
tum properant leges, vt hominum cætus
atque concilia tuto habeantur. ac propterea
ſuis ipſæ manibus arma porrigunt ad iniu-
rias propulſandas: quare verbis idem age-
re non licebit nobis: de vita vero tua, quid
ſordidi vnquam obijci cuiquam ſolitū eſt,
quod ego vere tibi attribuere nequiuerim?
Non tu in Aldi officina queſtū feciſti, cor-
rigendis exemplaribus? nōne errores eos
qui tum illis in libris legebantur haud tam
erant librariorum atramento, quam tuo cō
fecti vino? haud tam illorum ſomnum ole-
bant, quam tuam halabant crapulā? At opi
nor, ea tum fama vt obſcura fuit, ita leuiſſi-
ma obliuione deleri potuit: diuturna negli
gētia ſublata eſt. nōne omnia Italię Germa
niæque gymnaſia ijs tum vocibus perſtre-

pebant? Nonne nunc idem omnium con-
ſenſus ſpirat? furiari te mero, complerique
amētia ad ea ſcribēdum, que excuſſa poſtea
nebula etiam tumetipſe pro ignotis habeas?
Nōne hoc cōplures viri boni, domi nobiles
foris fortes, aut mihi aliȷs præſētib⁹, aut illis
me præſēte prędicabāt? te operarū qui ꝑ te
tūc munere tuo fūgerētur, cōuiciȷs a ſero-
tina temulētia excitatū: cū vrgeret quotidia
no pēſo is, cuius ītereſt notulas illas cōpo-
nere ſimul ad excribēdū. An tu mendaciȷs
doliſque coopert⁹ cui mētiri ꝓ animi pabu-
lo, fallere, ꝓ genio eſt, audes hoīes nobiles,
viros bonos, qui tū aderāt, arguere mēda-
ciȷ? eos tuo p̄ditos ingenio fuiſſe putas tu?
Qui tantum finxiſti mendaciſſimarū fabu
larum/ quibus veritatem lancinares. Qui
vero te in Philippi aula dixerit vidiſſe pæ-
dagogum. Mentietur is? Qui te tota Italia
volitātem, vniuerſis ingeniȷs priſcis, recen
tioribus, poſteris inſidiantem, veteres Bi-
bliothecas in tuum nomen exhaurientem,
perfidioſum plagiariū, optima quęque cala
miſtris inurentē, mēdax erit? Qui, vt cęte-
ra nunc tua furta in aliud dilata tempus, vti
merita ſunt, accipiantur doctiſſimi tuique
diſſimillimi viri Leonici Dialogo, de Ta-
ario ludo, prius quā ab illo editus, ad te ma
au ſcriptus perlatus eſſet, tua in colloquia

tranſlato anteuertere non dubitaſti. Neque vero me tam ſtultum putes, vt ſperem te hoc mihi confiteri: quam impudentẽ te con fido, vt vel pertinaciſſime neges. Cęterum dei immortalis beneficio huic rei prouiſũ eſt. vt quoniam hoc verum ſit, & a me forꝛ titer dici poſſit, & abs te negari nequeat. Vnum a me id mendaciũ admiſſum fateor: Cum te religioni tuę nuncio remiſſo, inter grãdiora pocula genialem vitã agere ſcripꝛ ſerã. Cũctus enim chriſtianus orbis obſtre pit, hæc ex obliuione eruenti, atque vindiꝛ canti mihi. Te vero etiamnum in cætu eoꝛ rum viuere, quorum in collegium ſemel fuiſſes cooptatus. Neque enim, qui in mor talis huius vitæ noſtræ officia fineſque inꝛ tueretur, aut aliũ quempiam, aut teipſum tam peruerſum putare potuit, vt nõ ſolum leges maiorum veſtrum reſcinderes, verũ etiam demẽtiſſima impudentia tuas nouas figeres. Quibus non viuendi: (quę enim eiuſmodi vita eſſe poteſt in homine, quę vt homo eſſe deſinat, facit:) ſed veriſſimã mor tem moriendi ſolutiorem licentiã tuis cõceꝛ deres pecudibus Luteranis. Hæc ſunt men dacia mea: Quorũ ego teſtes haberẽ Ioanꝛ nem Iucundum ex Italia, Hieronymũ Doꝛ minium e Norico: alterum genere, vtrunꝛ ue cum ſcientiæ, tum virtutum nobilitate

clarũ, adoleſcẽtiæ meę ſãctiſſimos doctiſſi‐
moſq́ moderatores: quorũ ſtudio atq́ dili‐ 91
gẽtia ſi minus ita in literis pficere potui, vt
micorum tuorum gratiam promererer, at
n viuendi ſaltem inſtituto ſic eorũ adhor‐
ationibus meipſum comparaui, vt quam
naxime abeſſẽ ab ea turpitudine, quę pro‐
pter fœdiſſimam vitæ labem nomini tuo
ampridem inhæreret. Igitur ij cum facili⁹
eſe a mendacij ſuſpitione tẽperarint, quam
ua mentiendo abſtinuiſti, dum Eraſmi no
nen nobis pueris increbreſceret, ita porro
monere non deſtiterunt. Daremus operam
caueremus, ne tanquam Catonem quem‐
piam imitando, vitium tale quid aliquo li‐
erarum ſplendore adumbratum iri ſpera‐
remus. Fieri enim contra: vt quę a viris il‐
uſtribus in vita agunda committerẽtur, ea
per o ſine vlla excuſatione tanto magis &
extent, & eluceſcant: neque magis obtegan
ur a virtutibus, quam maculent virtutes.
Aldum præterea Manutium Romanũ opti
num, ac ſimpliciſſimi pudoris virũ, recu‐
perandorum ſoceri ſui prædiorum cauſſa
qui ſe ſe Mãtuã recepiſſet, tũ videre, tũ au‐
dire, memini hæc eadẽ maiore tui, quã tu ip
ſe faceres, verecundia narrantẽ. Plus ope‐
ris abs te vno factum die, quam quãtũ abs
quiuis alio biduana opera exigi conſueuiſ

ſet, verum hoc neque ſibi gratis, neque tibi incõmode eueniſſe dicebat. Id enim tẽporis quod ab onere ſupereſſet, excubãtibus aliis in opere, te Monẽbatici vini precioſi indulgentia reponere ſolitũ. Hęc vero non ſciſcitantibus nobis modo, ſed nõ neſciẽtibus aliis quoque narrabat ille ita, vt neque tibi maledicere obtrectando, neque ſibi detrahere mentiendo velle videretur. Quare neque dignitate tua vere, neque veritate ſua ſalua bene quicquã eloqui de te poſſe. Quorum alterum commẽdabat eius amor, quo te proſequeretur, alterum candoris virtus, quę in illo viro permagna fuit: vtrunque autẽ bonitas quędam illi inſita, atque ingenita, ab ipſa pueritia vltima, ad illud vſque tempus repetita. Quę ſi vir bonus ſi parce, ſi inuitus, amicus ſummus tuus ita eſſe affirmabat: videamus qua ratione teipſum commẽdare potius, quam illum emendare poſſis. Eum vero ſermonem cum magnanimus, atque illuſtris princeps Ludouicus Gõzaga elicuiſſet; accidit mihi quoque vt intereſſem: qui in ea tum forte turma ſtipendia facerem, quã eius auſpiciis diuus Maximilianus Mutinę pręſidii cauſa collocari iuſſiſſet. Atque equidem nullam ego hac miſeria miſeriorem duco, in qua ea de memetipſo mihi dicenda ſunt. Quibus

ẽxtãtibus eruditionis,atque eloquẽtiæ opi
nio,ſiqua de me vnquã vſque in hodiernã
diem haberi potuit,tantillo momento pror
ſus amittẽda ſit. Quis enim equitem nõ fa-
miliæ ordine,quę alioqui non cedit tuę,euo
catum , ſed ſua lectum virtute putet iſtis
tuis Eraſme ſtudiis ꝓficere valuiſſe: in qui
bus,qui nihil aliud egiſſes vnquam,operã
non perdere nõpotuiſti? verũ enim vero
duriſſimę tibi ceruicis homini erant,locus,
tempus, teſtes explicandi. Nam ſi leuiſſi-
mis falſiſſimisque nugis mendacia tua ful-
ta vis , quali impetu ſimplicitatem noſtram
concerpſiſſes ? Quod ſi militiæ meę nõ pro
feſſione, ſed confeſſione tollitur laus litera
rum : vt non quoniam maximis in præliis
interfuerim, aliquando autẽ etiam pręfue-
rim, ſed quod in illis me fuiſſe dixerim, ora
torum ſim numero exautorandus : lingua
mea, qua me nunc inde exemerim, quam
manus quę tunc eam mihi gloriã interpel-
larint, plus potuiſſe ſtulte indicetur. At ſi-
quis antea quam hoc de me ſciret,id nomen
inter poſtremos ſaltem non inuidit:Ne,per
deum immortalem,cũ fortitudine mea vbi
coniunctum viderit animi candorem, quas
virtutes recto iudicio facere debuit angu-
ſtiores , eas per liuorem deteriores putet.
Neque enim honeſtiſſimum militiæ ſtudi-

um, quod etiam mortales ipſos in deorum numerũ referre conſueuerit, auferre debet cuiquam gloriam literarum? quę in illius ſinum recepta fotaque ſæpe numero conquieſcit. nihilo profecto magis, quam nunc a literis effici poteſt, quominus aliquando ſumma cum laude militarim. Si hanc igitur illud nõ ſuſtulit, quare hac ab illo auferatur verum in hac ego, quę mihi oneri futura eſſent, non minus inuitus excurri, quam me tuens, ne ĩ ipſis producẽdis teſtibus, multo plus eſſet mihi teſtium querendum, atque adeo in defẽſione ipſa veritatis ego tãdẽ eſſẽ defendendus. Quod quidẽ facilius ab iis ignoſcetur mihi, quibus Eraſmi comperta fuerit prauitas. neq; enim hæc penitus non ad cauſsam pertinere quiſquã putet. Nam, qui laboribus meis illam negaret attribui debere orationem, quemadmodum hac putatis coniectura inſultaturum? Militem ſcilicet tanta eſſe in dicendo facultate, quantũ perpetuo ſibi magiſtro eruditiorum iudicium denegaſſet? At vero qui ſcis Eraſme illam ipſam ęſtus, frigoris, inedię, laborum tolerantiam, vigilias, ęrumnas cęteras, quas in illa teterrima vita ſęuiſſimo Fortunæ imperio executi ſumus, præuia fuiſſe non rudimenta, ſed munimenta potius, atque ea lectiſſima quidem ad hanc alterã lauream

conſequendã: Non eſt, crede mihi, fruſtra
ab natura memoriæ tenaciſſima illa vis cō-
ſtituta nobis Eraſme: apud quam depoſita
noſtra cum ita repetuntur, vt cum ijs quę
olim poſſunt contingere, cōparētur: creant
in nobis eam virtutē, quę a maioribus no-
ſtris viris ſapiētibꝰ accōmodatiſſimo nomi
ne prudentia fuit appellata. Ergo in te, qui
nūquã ab ijs ſtudijs diſceſſiſſes: tibique at-
que alijs ſatis ſuperque laboraſſe videreris:
elanguit animi vigor ille, partę iam gloriæ
ſocietate: quemadmodū in aurigis, qui ſuū
ſibi curſum tranſcuriſſe viſi ſunt. Mihi ve-
ro contra euenit Eraſme, vt, qui non ætatē
meam præcurriſſem, cauerē ſaltē, ne ipſius
excurſus gloriam meã præueniret. Etenim
qui ſextum atque viceſimum annū præter
pauculas miſeraſque adoleſcentiæ meę ex-
ercitationes, furtim ſine vlla linea elapſum
animaduerterem, cuius temporis fructum
tam maxime caperē, quam profūdiſſimum
mœrorem ſuſciperem amiſſarum cogitatio
num mearum, qui mœror mihi in futura vi
ta nouis conſilijs deponēdus eſſet: hoc reli-
quo ætatis flexu, ad quem dei opt. max. be
neficio atque indulgentia perductus eſſem,
non nihil expediui maturius fortaſſe illa im
pendentis interitus trepidatione, quod abs
te huiuſce caſus ſecuro nequaquam propte-

rea confici potuerit. Permitte vero nobis Eraſme ignominiam timere, qui virtutis cauſſa vitam, mortemque iuſta contempſimus. Quid enim laudi meę futurum fuerat pernicioſius, quã relictis prioris vitę triumphis: quos mihi certiſſimis præmijs apparaſſem, eam ſequi victoriam, cuius eſſe negligens viderer? ergo tu cum philoſophos irridebas, Ariſtotelicę veritatis ego dulcedinem animo concipiebam: præcepta memoriæ mandabam: cum Platonicis, quæ diuerſa, quę varia, quę contraria viderentur cõferebam. Cũ tu prouĩcias obibas, earum tractus ego ex Euclidis Ptolemęique dimẽſionibus ad certa cæli ſegmenta, atque inclinationes corrigebam. Cum tu publianos Mimos diſcipulis tuis prælegebas, ego me in P. Virg. Maronis tranſformabam diuinitatem, vnde grauius aliquid commentarer: cum tu Ciceronem, cuius virtutes non eſſes aſſecutus lacerabas: Ego, quem defenſurus eſſem, imitabar. Tu ſtertebas madidus: ego vigiliis confectus, ſudore diffluebam. tu potabas: ego etiã parata, etiã præſente cœna, quæ iandudum corrumperetur, ſiti ſiccus, fame aridus, mei oblitus, depoſitis lacertorum toris conſumptus, pallidus, luridis oculis paſcebar eius ſpe gloriæ literarum, quæ mihi tãti viſa eſt, vt præ vna illa, cętera om

nia pluſquam ſordida viderentur. Verum
quoniã de me multa nimis, ad Aldũ ipſum
qui me huc compulit, reuertamur? His te il
le coloribus tum pinxit tuis Eraſme: qui-
bus notiſſimum faceret nobis, haud ita pe-
nitus ignotum antea. Neque enim clarius
illuſtriuſve quiſquã de facie cognoſci po-
teſt, quã abſens boni viri prædicatione. Ne
que enim ſtatus ille corporis tui paulo hila
rioris, habitus, color, magnitudo ipſa, qua
vulpes interior tegitur, Eraſmꝰ eſt, quę ocu
lis percipi nõ poteſt: ſed peruerſi animi qua
ſi ſuccus ille venenatus, qui de moribus tu
is cogitatione facile hauriatur. Atque hæc
ſunt, quæ mentiebar ego. Nam præterea,
quid tandem potui? ignobilitatem? theſei
puto, aut Codri genus eſt, inuidentiã? Cã-
dide em̃ omnibus fauit, ac non ex eloquen
tiſſimi cuiuſque odio Ciceronẽ inſectatus
eſt: ex theologorũ ſimultatibus religionis
noſtræ ſubuertit fundamẽta:, veritatis ſtu
dio, ſuĳpſius ſcripta hoſtiliter diſſimulauit.
Tam bene de clariſſimis viris ſentire viſus
eſt: vt, quorum virtus exprimeret confeſ-
ſionem, ipſius maleuolentia eorum laudem
exhauriret. Intemperantiam? nempe in ſa-
crarum literarũ ſanctiſſimo atque auguſtiſ
ſimo corpore nouis vulneribus nullus eſt
relictus locus. Furta ĩ literis? quotus extat

antiquorum labor, quin per te ſubactus, depexus, inuerſus, euerſus, alia facie diſtractus, amiſſa priſtini decoris, priſci patroni luce, recentis ſeruitij tui nexu vinctus, teterrimo errorum ſqualore obſitus, nō ingemiſcat? Orationis vero fucos vtinā addidiſſet, nō næuos, atque verrucas: nō ſtigmata, nō latine linguæ purulenta carcinomata multa: quæ a doctiſſimis viris ſunt animaduerſa. Multa nimis: quanquā neque om̄ia: quis enim id poſſit? neque pars maior: cui enim tantum vacet? Snut alia præterea quoque Nerbeli atque Laurentia plura ſunt: quę ille, ſi nos nō pergat irritare, ſapiat: vti tegātur. Nihil enim leoni cum proſtrato. At vero impudens ego? An quod palā negaui quicquam ſani illius in libris reperiri poſſe? quorum aditus tantum minatur periculi, quantum laboris eſt cauere hoſtilem animum diſſimulatum? Quis enim ingenio paulo exercitatiore non agnoſcat latibula illa tua: quorum in faucibus epulæ ſtructæ largę illę magis, quam lautę, ad venenatos receſſus inuitēt homines imprudētes. Ab ijs incitamentis & me mihi, quod humanū eſſet, timentē: & alios, quod erat ciuile, vt cauerent, admonentem cū audiſſes: impudentię nomine tam pium atque officioſum animum meū impudentiſſime tu, appella-

re auſus es? Ego impu dens: qui monumen
ta mea rudia, īpolita, incaſtigata, mutila, mā
ca præcipitaui: miſera, irridēda tibi tuiſque
propinaui. Ea ego, admonitus retractaui ſci
licet. Retractaui? immo vero aut ſubdolis
ineptijs interpretatus ſū, aut perfricata frō
te, impudentiſſima pertinacia, mirantibus
amicis meis, irridētibus inimicis, bonis om
nibus ſtomachātibus, mordicus tenui. Ego
publicis, priuatisque tum adulationibus,
tum ambitionibus ſtudui. Ego gratioſorū
Aulicorum auram captaui. Factioſorū par
teis cōſtitutas ābiui, īcohoatas ſecutus ſum
labantis cōfirmaui. Ego vltro oblata fortu-
narum ſpe ingenti, atque luculenta, abiecta
animi magnitudine, virtute ſpreta ſolicita-
tus ſū. Quis me vllus Eraſmus vlla harum,
quæ ſibi ſuę eſſent propriæ, atque perpe-
tuę, macularum labe ſuſpectū habuit? quem
ego leſi omnium mortalium, qui mihi exi-
tium non pararit? At Ciceronem, inquies,
irriſi. Hoc quid ad te, qui ne illius vmbram
quidem? Quid ad te, inquam? An vero tibi
ſeræ eruditionis homini, Scaligero neſcio
cui, obſcurę literaturę, qui te maximis pericu
loſiſſimisq; fortunæ procellis ſp̄ implicuiſ-
ſes, patere potuit tantæ aditꝰ laudis: cuiꝰ ſtu
dio vel ij, qui ſeſe ab incunabulis dedidiſſēt
medijs in conatibus immortui ſunt? Hæc

tibi ita Eraſme obiectāti nobis tāquam ve-
riſſima vt concedam;haud cōtinuo id quo-
que feras; vt quod ego conſequi non poſſū
boni,aliis inuideam.Hoc enim diſpares,diſ
ſimileſque ſumus ego,& tu. vt,qui Cicero-
nis,quod ipſe iactares, germana proles eſ-
ſes, tam fallaciſſimis artibus a cæteris eius
liberis auerteres hæreditatē. Ego,qui nul-
lus eſſem,contra candidiſſimo,largiſſimo-
que animo eos, qui non eſſent hęredes, ad
eam opulētiā,quæ in omnes diſpartita,nul
li perit,inuitarem.immovero, quā iſti ma-
ximam miſeriā putāt Eraſme,caruiſſe luce
nominis Ciceroniani, eā vtrique noſtrum
communem,ego animi mei liberalitate mi-
tigaui;tu peruerſa inuidentia miſerrimam
feciſti; Mihi vero pro diuina illa eloquētia
cauſſam quod ſuſceperim,id ſi vitiovertis;
quid nominis imponas tibi eam impuden-
tiſſime obterenti primū,mox depulſo fra-
ctoque impudentius hoc neganti ipſū? An
ego liberis deeſſem meis ſummæ ſpei ado-
leſcentibus? Quorum īgenia cum ad eā elo
quentiæ arcem feliciter aſpirent;ſi talem in
ea,quæ a natura illis communita eſſet via,
viperam anguſtiſſimos obſidentem ſaltus
offendiſſēt;facile imbecillę ætatis vitio con
territi,pedem fuerāt retracturi.Nuncvero
paternis eam confoſſam telis,noſtris deie-

ctam, confectam, iacentem auſpiciis vbi vi
deant, tanto ea pro laude acrius nitantur:
cuius velint æmulari vīdicatorem patrem.
Nam ſi regiones fineſque temporum, qui-
bus arctiſſimū vitæ noſtræ curriculū termi
natur, in liberorum noſtrū m ſucceſſiōe na-
tura propagauit: non erunt noſtris tantum
commodis metiēda ætatis huius ſpatia: ſed
eorum anguſtiæ cum ipſa ſpe poſteritatis
adęquanda. Iam vero ille, cum neſcias vtro
ſit impudentior, ad calumniamne ſtruen-
dam, hoc ipſum inficiandum: videas ſal-
tem quo ineptus argumento. Hoſtem in-
quit Ciceronis, ſiquis eſt, qui aut prædicet
aut ſuſpicetur: ij vero vehementer errant.
Habeo enim amicos eiuſmodi viros, qui-
bus ea laus debeatur ſolis. Bembum deīde
nominat, Sadoletum, & Alciatum. Eorum
igitur Eraſme amcitiæ cum in mentē venit
tibi, non nequitiam tuā perhorreſcis? quæ
tanta, tamque cæca fuerit, vt ab illorū vere-
cundia nequiuerit in officio cōtineri. Ergo
te illi fouebāt amcitiia vt ſuæ eloquētiæ prī
cipi Ciceroni fieres inimicus? Neque enim
eorū humanitas, qua parcūt tibi, tuū crimē
diſſoluere poteſt, ſed tuum ſcelus illorum a
morem extinguere debuit. & feciſſet pro-
fecto: niſi in illis plus extitiſſet lenitatis,
quam in te perfidiæ fuerat. Atque illis viris

ſolis Ciceroniani nominis laudem cum at-
tribuit, nulla quidem noſtrum id facit vel
iniuria, qui a natura negatum hoc muneris
nobis, æquiſſimo animo ferimus: vel obtre
ctatiōe, quibus proxima virtus eſt, nō inui
dere. ego enim, cū in nūquam ſatis laudatis
ſcriptis illis, quę mihi hac in literarum vaſ-
titate attingere cōtingit, loquentis audio:
equidem Ciceronis vocem illam auream,
ac diuinā videor audire; cæterū quæ nox,
qui dies hunc expoliuit ſenem nobis. Non
ne iſthuc ipſum in ſtolidiſſima illius dialogi
cenſura negat propalam? Ergo qui te repē
tino terrores diſtractum metu eam in aram
compulerunt Eraſme? An maluiſti cōſtan
tis viri nomen minoris facere nunc, quam
antea feciſſes ſapientis? Eaque olī de amicis
tuis temere, per inuidiam profiteri? Quę
caſtigatus, per metum aliquādo eſſes nega
turus? Quare optimo cuique ita perſuaſū
eſt, vocem iſtam tuam non ſolū auro, cuius
tu aceruis, quibus iuuenis inhiaſſes, nunc
affecta ætate diceris incubare; verū etiam
metu venalem mutari: animi vero malitiam
eandem eſſe. Neque enim fieri poſſe, quin
priori ſemper hęreas cogitationi; tametſi
nūc aliter ſētire ſimularis. Ergo quibus mi
nus notus ſit ingenii tui Euripus ille, ij po-
ſtremę huius epiſtolæ, tam erga Bembum

modeſtæ atque officioſæ, dialogique illius eam aduerſus omnes inſolentis, aliũ atque alium autorem commodiſſime ſuſpicentur; vt hoc ipſum quod tu de me prædicas ſtultiſſime, tibi obijcere poſſint:& vere. De nomine nunc tuo cuipiam illorum amico feciſſe gratiam: cuius ſplendore vteretur ad dialogi illius impuri tenebras illuſtrãdas. Neque vero fallentur ij penitus Eraſme, qui diuerſos autores autumant. Nos enim nunc ſumus, qui de Sadoleto, alijſque duobus illuſtriſſimis oratorib' loquimur ex ore tuo. Impulſu enim noſtro, ea tu vti diceres, factum eſt. Nam te, quod aiebam modo, ab eorum dictione Ciceroniani nominis diuinitatem ſuſtuliſſe, nonne clara ita, vt exaudiri poſſint, voce ſcripta ipſa clamant tua? Qui enim omnibus ijs, quorum ſupercilium verebaris, aut a philoſophię ſtudijs, aut ob rei ſiue publicæ, ſiue priuatę curam Ciceronis ſtylum diceres contaminatum, Alciato eloquentiæ curſum legum ſalebris retardatum cauillaris, vt quãtum vnius addas inuitus, tantum adimas alterius libens, Sadoletum vero chriſtiana philoſophia Tullianos fõtes diluiſſe: vt quoniam tuis non ſe immerſerit prouerbiorum nugis, idcirco illius viri eloquentiã nequeat adipiſci: qui ſi nũc extaret haud alio ꝑfecto modo loqueretur. At Pe-

trum Bembũ cũ a Ciceronis theſauris amo
uere nullomodo auderes, admouere autem
nolles, laudas illius quidẽ dictionẽ caſtam,
puram, candidam: Ciceronianam vero ve-
que auſus es propter metũ negare: neque
propter animi peruerſitatem aſcribere no-
luiſti. Quod ſi hoc te condonemus, vt eos
vel pluſquam Ciceronianos iudicaris: tan-
to te, vt eam ſedes inuidiam, facias peruer-
ſiorem, qui eis in Cicerone maledicas. Nã
quem tu virorum doctiorum iam amẽtem
ſperaſti: vt, qui abs te illuſum Ciceronẽ ſto
machetur, eiuſdem feritatis tuæ ſeſe ĩmu-
nem ſentiat? Equidem Nerbeli atque Lau-
rentia nequeo mirari ſatis, huic hoĩ quid in
mentem venerit tandem. Suumne ipſe dia
logum intercidiſſe putet, quod minime ve
lit: an nos obliuioſos factos velit, quod mi-
nime putet? An vero cęteros mortales om
nes tantas pecudes exiſtimauit, vt nonniſi,
ab ſe vno ſcripta ſua intelligi poſſe cenſeat?
Quibus igitur ſcribebas Eraſme: ſi nemo,
præter te vnum, diuina illa tua percepturus
erat? At vero miſerrimum te omnium mor
talium eſſe oportuit Eraſme: qui eam lau-
dem, quę vna atque adeo ſola tuis ſcriptis
reliqua facta fuerat, tuipſe ſuſtuliſti. Hoc
enim te admirantur pumili iſti tui literato-
res. Nam vt peruium, vulgareque, ac ſordi

dum nõ dicẽdi, ſed ſcriptitandi genus tuũ
ab eruditioribus iudicatum eſt: ita familia-
re, tui illi compotores credi volunt. Hoc er
go tu cum ita nunc anceps atque obſcurum
finxeris, vt quanlibet in partem tibi nunc
ſtãti, nũc ſedenti viſũ fuerit, diſtrahatur iã
vt cõtra Ciceronẽ ſẽtiens olĩ doctiſſimum
quenque, ita nunc pro Cicerone recantans
ſimiolos iſtos tuos ex amicis hoſtes feceris.
An putemus eum: vt hoc tum ætatis tum
temulentiæ vitiũ eſt, memoria deſtitui: ſcri
ptorum immemorem ſuorum nunc alieno
ita frui iudicio, quaſi ipſe nũquam ſenſerit
aliter? At vero ſemel atque iterum cũ illum
dialogum inuulgaſſet, priorem inſaniã re-
centiſſima memoria comprobauit. Cuius
inſolẽtiſſimis ineptijs ſi tres illi viri nõ reſ-
ponderunt: quãti me ipſe æſtimat, cui nihil
reſponderit: tanti ſe ab illis factum putet.
Eam igitur prouinciam cũ non recuſarim,
ne me vero omnino ſpernat, qui ſe nõ con
tempſerim. Ergo furioſum me vocat furia?
diſcordiarũ parens ac fomes? cuius ſcriptis
incolumibus reſpublica ſiue chriſtiana, ſi-
ue literaria ſtare nõ poterat. An qđ vt ve-
riſſimis, ita non ſatis acerbis eum appella-
tionibus conuexarim? Ego illum cœnũ di-
xi. Eloquẽtiæ fonteis contaminauit. Carni
fex, atque parricida appellatus eſt. Nempe

qui ſeſe Ciceronis ſobolem vltro profitere tur: eius nomen, memoriam, manes ipſos. Cum reuellerit, cõuellerit, inquietarit, agitarit, diſſiparit: non ſolum patriæ, vt Cato voluit: aut eloquẽtiæ, vt omnes boni: ſed ſuum ipſe quoque parentem, quẽ appellaſſet atque agnouiſſet, proles iugularit: ei vnũ vos modeſti homineſculeũ, qui tria commiſerit parricidia, ei vos vnũ ſatis culeum putatis? O triparricida, vt enim nouo crimini maiores noſtri, quod a Solone omiſſũ eſſet, qui ſperaret naturam hac in parte vinci nõ poſſe: qui Solõ ita ter ab Eraſ. ſpe falſus fuit ſicuti ter ab eodem natura victa eſt: ij maiores noſtri nouo facinori, nouũ nomẽ, nouũ ſupliciũ cõſtituerũt: ita nos nouo monſtro, nouo ſceleri ĩaudito, nouum nomẽ. Romanarũ auriũ pace inter legitima recipiamus. Furioſus ego. Vã profecto talis hydra nno niſi ab Hercule potuit excindi. Sicut enim in fornacibus, ita in mõſtroſis ingenijs vſu venire compertum eſt. Quippe aut largiore aqua, aut maiore igni opus eſſe ad priora incendia extinguenda: vbi irrores plus ignis addas, quam auferas. At non defuerunt alij quoque, cum eius amici, tũ etiam inimici, qui me ea in oratione furere dixerint. Quorum oratio atque mores partim ſa

ne ſedatiores atque compoſitiores ad accipiendam iniuriam apti magis, quam ad depellendam fortes ſunt. Quorum vero ita notum ingeniũ eſt, eiuſmodi extant ſcripta vt & eruditionis vacua ſint, & infantiæ plena nihilque aliud, quam furoris incendia oleant: ij nobiſcum, communem culpam habent, cauſſam non habent. Nam cum in vita ciuili eorũ temeritas quæ ſępenumero repreſſa, nunquam potuit caſtigari, eo progreſſa fuiſſet, vt etiam ſupplicijs cohiberetur: iuſtitiæ gratiã debuit, non obtrectationis vltionẽ. Mihi vero ſeſquicerberus nõ ab inferis extrahẽdus, ſed a ſuperis in quos impetum fecerat in priſtinas ſedes ſuas inter furiarum gregẽ deturbandus? Qua claua, quo impetu, quo ſpiritu, quibus cãtibus aut ſopiẽdus aut ſupandus fuit? Quare vos viri boni ſedatiores compoſitioresque illos alloquor, quibus alia vis, alia facultas, quam ad expugnanda monſtra, fatorũ benignitate conceſſa eſt; ea vi, ea facultate vbi vbi libet, vtamini. Nobis ſinite orbẽ literarium ſcironum, atque burſiridum inhumanitate expurgare. Nempe Nireum quempiam aduerſus Geryonem? Ne veſtra iſta lenitas, atque humanitas, quam tantopere iactamus, plus nobis mali fecit, perẽdinãdo, ampliando, indulgendo fouit rabiem mõſtri illius,

quæ ceſſatione veſtra vehemẽtius exarſit: cum veſtro ſilentio vecordiam ſuam com- probari videret: quã vel vno verbo per ini tia victã labaſcere vidiſſetis. vos illã lacta- ſtis tenerã inſaniã: adultã fouiſtis: cõfirma- tã an exhorrueritis, neſcio. Si itaque neque illius pudet, neque veſtrũ piget: ne quęſo de viris fortibus aliter ſtatuatis, quã de te- merarijs feciſtis. vt, qui ſceleratis ꝓpter cle mentiam ignouiſtis, libertatis noſtræ pau- lo fortiorem ſpiritum propter communem nobilitatem æquo animo feratis, atque pa- tiamini. Vobis vero, qui nihilo, quã inimi- ca aduerſus Eraſmũ moleſtia, atque cõten- tione ab eo diſtatis: hos alloquor, quorum illiberalis animus in ſcriptis ſtultiſſimis, at- que inuidẽtiæ pleniſſimis eluceſcit: nõ fuit libertas mea furoris nomine appellanda. Quam ſi de vobis mutuari voluiſſem, fru- ſtra equidẽ fuiſſẽ. ſin aduerſus Eraſmũ fu rere præſtitiſſet: nõ mores meos, nõ oratio nẽ illã, ſed veſtras intẽperies, veſtras inſa- niſſimas, barbariſſimaſque ac vaſta quadã loquacitate differtas conciones contra eum ſtatuiſſem. Vos vero Nerbeli atque Lau- rentia, quos neque non potuiſſe propter imbecillitatem, neque nõ noluiſſe propter amicitiã exiſtimamus, neutra in parte com prehendendos puto, ſed & mihi qui voluẽ-

rim ob veritatem, & illis qui non potuerint propter lenitatem vos ignoſcere æquū eſt. Quos vero naturæ atque ingenij ſui armauit impetus ad furorem, eos neque ad bonorum probitatem, neque ad fortitudinem audentium accedere potuiſſe. Cæterū vos cauſſæ meæ videtis iniquitatem. qui ſi moderationi modeſtiæ quæ meæ conſultū velim, patiar ita furorem illius, vt tacitus hanc feram contumeliā Quod vt difficillimum mihi ſit, ita quālibētiſſimis animis hauriant illius ſectatores: ſin eius inſaniā illi oſtēſurus ſim, cogar enī vero de me multa dicere. Quod vt eſt facilimū, ita auerſiſſimis auribus accipiāt auditores. verum neque alios multos viros bonos, neque vos Nerbeli, atque Laurentia optimos, ita hæc noſtra, aut legere, aut audire ſpero: quibus plus voluptatis ex alieno falſo conuicio, quam ex ſui vera laude quiſpiam dicendo faciat. Nam quanā tandē ratione moleſta ſit oratio mea vobis; quæ veſtris in virtutibus alienæ lucis laudem repreſētat? aut quāobrem mihi fraudi ſit, ea de me prædicare, quæ poſt hominum memoriā omnibus feciſſe, veſtro iudicio fuerit glorioſū? Audiat igitur ille furores meos. Nam vt cætera quāplurima ac multo maxima in præſentia omittam: propter æquanimitatem meam, atque modera

tionẽ, nõ ſolũ peregrino mihi, minimeque aut opib9, aut factiõibus ãbitioſo ciuitas clara admodum data eſt: verũ etiã ſumma rerũ commiſſa: quæ mea prudẽtia, atque ĩtegritate ita tẽperata fuit, vt aduerſus leges etiã prorogatus ſit magiſtratus. Tantũ potuit in bene inſtituta ciuitate nouitas mea, vt illarum verecũdia antiquaretur. Male vero me virum putauit Eraſmus, vt qui armatis Barbaris imperare cõſueuiſſem, ab inermi deſertore dicendi leges acciperem. Quod quoniam neque more neque volũtate mea licuit mihi, ſcilicet illi vni maledicere licebit impune? Quod ſi non facit, iaceat ipſe: ſcripta prodeant. ſin id cautiũs additis vaniſſimis mendaciis diffidens ſibi comminiſcitur, ex maledictione non honeſta turpe conuicium facit. Verum vt de illo paraſitus meus loquitur in comœdia, quam ſenium inſcripſeramus, ita profecto eſt.

Præreptum ſcilicet i[illegible]ius præclarum ſibi
Ab ignobili, vir egregius haud poteſt pati.
Verum vtrum difficilius ſit illi, neſcias:
Abiecto animo deuorare hãc cõtumeliam:
An quadriẽnii veterno excitatum aſſerere
Manu mancipiũ ſuũ, hoc eſt maledicentiã.
Cæterum perpeti labore hic inuenit ſibi
Quod diu quęſierat: vt eẽt, qui malũ daret.
At putauit ꝓfecto rẽ ſibi cum mortuis fore

larua illa: cuius exitiabils ſpiritus viuen-
tium cruore non potuit ſatiari. Nunc vero
tãdem faſtidium ſimulat delicatum. Negat
nos dignos eſſe, quibuſcum de ſumma lite-
raria experiatur. Querunt, inquit, Antago
niſtam. probe, neque enim vſquã vniuer-
ſo in latio, latina extitit tã magno viro vox,
quę gręcum ĩgenium apperiret. Age vero
querebamus te nos? an cõtra abs te nõ ver-
bis quæſiti ſolum, ſed vulneribus confecti
in campum deſcẽdimus? cuius tu cãpi glo-
riam tanquam dares alter, nemine ſe offe-
rente, amentiſſima ſpe cum deuoraſſes, va-
lentiſſimos præter opinionẽ nactus aduer
ſarios, quo tibi res reciderit, vides: acciſa nõ
ſolum triumphorum tuorũ gloria, verum-
etiam interempta ſpe futurorum. Ergo ita
contemnendi fuerant iſti tibi, quos nũc deſ
pectui habes, vt ne olim timendos videres
neceſſario. Quem metum ſi aliquando ani
mo metiebare, aut ſtultum fuit vltro arceſ-
ſere, quod cauere poſſes: aut miſerũ, quod
depellere non auderes. Verum natura pro
fecto in oĩbus dominatur. Erũpit em̃ inui-
tis nobis. Aliquando diſſimulari, facile: diu
cõtineri, difficile, corrigi, arduũ: tolli vero
nũquã poteſt ĩcolumibus vitæ noſtræ prĩ-
cipijs: quorum principiorũ finis, atque in-
teritus noſtri initium idẽ eſt. Quare vtrun

que illi ex ingenio obtigiſſe, quis neget?
Nam vno ex vitio alterum illud enatū eſt:
vt diſſimulatione potius, ac fuga clandeſti
na, quā aut flexu corporis eniiet, aut robo-
re tela repellat aduerſariorū. Nam & impo-
tentia perſuaſum eſt ei, vti ſycophantē age
ret: & ab ſeruili animo, vti defenſioni deeſ-
ſet, imperatum. Ergo vbi tandem ſunt iſti
gregales Eraſme tui, qui te dei loco habue-
runt: qui ne nominis quidem numero cen-
ſeri iure poſſis? Quid enim longius abeſt
ab humanitate, quā aut alij facere iniuriam
aut ſibi factam non propulſare. Nam ſi ani
mus, non argumentum, deeſt tibi; iam tua
ignauia palam eſt. Quippe quā alienæ vir
tuti, tam es innocētiæ iniquus tuæ. Sin ma-
lam bonus vir nunc cauſſam foues, bonam
cauſſam malus homo antea deprauaſſe de-
prehenderis. ipſe enim nunc tibi defenden
dus es in re turpi, quoniā alios, vti ſeſe ho-
neſta in cauſſa defenderent, coēgiſti. Age
vero cū mētiris, me nominis mei vumbrā
alieni ingenij luci cōmodaſſe, idque certis
tibi compertum iactas argumentis: ibi non
impudentem ſolum oſtentas temeritatem,
qui tantum mendacij audeas comminiſci:
verum etiam calidum apperis ingenium:
qui inuicti aduerſarij gloriam eleuare cone
ris. Quare ſolutius interdum hominis cum

vafrum, tum illiberalem metũ rideã. Qui verum hoſtem diſſimulet, ne cõgrediatur: fingat ſibi quem metuat, vt differat expectationẽ; neminẽ nominet, necui reſpõdeat. Enimuero ne ille ego ſim, qui eius aciem impotentem, atque inſolentem retuderim. Ergo cuius ille obiectu ab ea inſania retardatus eſt, quam in viliſſimũ quenque, vt ipſe obijcit, inſaniuit? Nemo eſt hic mihi nominandus, ne cum quopiam eorũ me videar comparare. Iulius Cęſar Scaliger inter florem Italicæ nobilitatis ſuppetias iui ſolus primus que corruenti eloquentiæ. Quem longum ſecutum aiunt. Imitatus eſt neſcio quis ab inſubria: ęmulatus Doletus. Ego ille in vltimo terrarũ ſolo profugus tãquam alter Aeneas deos patrios penates reſtitui tranquilo cœlo inuitis barbaris neſcio quibus. Marcellus alter pluſquã punicũ Hannibalem quẽdam latini hoſtẽ nominis, non ſuis artibus comprimi, ſed noſtris opprimi docui primus. Ille vero commiſſa inter ſe atque Ciceronẽ pugna turpius putauit mortem deprecari: id quod viri tamen fortes interdum facere non erubeſcunt: quam negare hoſtem; quod ne ſeruo quidem vlli vnquam honeſtum fuit. Illud enim non virtutem tollit, ſed fortunæ vim confitetur: hoc cum miſeria ipſa mendacij turpitudinẽ con

iungit. Iſto ipſo minore multo dignus ve-
nia, quod antea in Ciceronem debacchaba
tur, nunc in ſe ipſum turpiſſimus eſt. Quid
enim fœdius, quam animi ſui impotentiam
tam miſere interpretari, vt ne ab hoſte qui
dem dictũ pati debeat. Qui enim ſe feciſſe,
quod fecerit negat: is ſeſe iudice damnatur:
neque enim factum oportuiſſe confitetur.
Hoc ſatis ſit Eraſme nobis, vt bis mentitus
eſſe videaris. Et cũ illa falſiſſima cõminiſce
rere: & cũ modo ea te commentũ inficiaris.
Ecquo igitur colluctatore tibi op⁹ eſt? Nul
lum, inquis, quęro: ne vllus quidẽ quęren-
dus tibi, qui teipſũ de victoriæ nõ ſolũ ſpe
deijcis, verumetiã de merito deturbas. De
dignor, inquit reſpondere. Nobilis ſcilicet
remigẽ, doctus inanem, chriſtianus barba-
rum nactus es. Ad hęc igitur reſpondeam?
an cum nomen obijcis conuiciatoris? ipſe
omnium conuiciorum, omnium obtrecta-
tionum, maledictionum, calumniarũ, ſyco-
phantiarũ autor ac parens. Perſequar por-
ro literarum partẽ illam, in qua negat meũ
id eſſe: ſic enim veteramentarij generis ſui
olens coria vocat: calciamentũ. Sed a quo-
dam haud quaquam ignoto ſibi conſutum,
mea mihi vel audacia, vel ſtultitia ĩdutum.
Obſecro vos optimi doctiſſimiq; viri quo
id tandem conſilio excogitauit? iam iamne

mihi in literis parum gloriæ partũ putem: quam literatus hoſtis inuideat? qui neque at tam præclari operis partẽ vllã laudis labefactare, vniuerſam a me iã auferre conetur? tanto aſtu, vt ne vllũ quidem, in quem eam tranſfunderet, nominare voluerit. Sed impudẽtiſſimus ille mẽdaciorũ ſartor, ſator que cum nullum remedium reperiret, qui ſeſe ex hac miſeria euolueret: fallaciam hãc ridiculam fabricatus in me intendere occœpit, ĩ qua ſeipſe qualis eſſet ꝙ quis eſſet autor orationis facilius explicaret. Perſonã tantũ attribuit mihi: operã abſtulit. Dũ ſperat, in controuerſia poſito nomine, conſimili fortuna orationem quoque meam de hominũ memoria ſublatũ iri. Nemo eſt Eraſme, qui tuæ reſponderit petulantiæ. non Scaliger: non ille alter, qui quidem nuſquã eſt. Quẽ neque ego, neque tu, neque ſeſe ille ipſe vidit vſpiam. Falleris enim ſi quem eius orationis autorẽ vnquã extitiſſe putas? Quid quod vafri quidã homines atque vrbani, abs te illam cõſcriptã vulgo aiunt? vt quale eſſet in te tuorum ſtudium experirere. Sic enim Reges, a quibus tu ortũ duceres, olĩ facere conſueuerunt: vt vanis rumoribus, quos de morte morbove ſererẽt familiares aut ciuiũ, aut exercitus animos tẽtarẽt. Nã neminem illi quos dicebam, ſtatuunt mor-

talium adeo te graphice pingere potuiſſe,
præter vnum te. Hoccine te periculum tuo
maximo cũ díſcrimine de tuis facere Eraſ-
me? o vanas hominũ ſpes. Ecce nemo pro
te laborat. miſerrimũ enim putant in id ſe-
ſe induere, quod tu exhorreſcas. Cũ autem
tibi parem ſtatuas neminẽ: quo teipſe con-
ieceris, ab te vno extrahi, atque educi poſ-
ſe. Extrahi te Eraſme tãdem: omnes hoc te
tui rogant, quos tu ſuſpenſos animi hacte-
nus habuiſti. Edue te ex hac miſeria, exue
nomen inuidi, mendacis, impudẽtis, indo-
cti, temerarij. Qui mihi nõ inter viuos, ſed
plus quam mortuos in literis viuẽti, fortis
atque imperterriti animi viro, non tã a lite-
ris, vt tu exoptares, quam a literatis, vt nos
dolemus, vacuo, atque deſtituto, auſus es
non conciliorũ participes aſcribere: ſed mo
numentorum ſuppoſititios autores cõmini
ſci. Ergo nemo illam, vt dicebam ego, cõn-
diderit orationem. ſed res adeo ex ſeipſa lo
quitur. Ea te in certamẽ vocat, huic tu reſ-
ponde, nõ nobis. Ait te illo in dialogo, quæ
in te vigerẽt vitia vere, eorum bonũ virũ
M. Tulliũ falſo atque immerito ĩſimulaſſe:
odium hominum: non ferendam gloriam
vaniſſimi ingenij: ſcurrilitatẽ: inaniloquen
tiam: Ait te dũ lapides omnes moues, etiã
eos qui in ipſa eloquẽtiæ ſtructura optimis

dimēſionibus eſſent directi atque colloca-
ti, vt calcem arenamque illius viri explora
res, romani decoris ꝓpugnacula ſubruiſſe.
Ait te ſub illis lapidibus latētes viperas mi
nutas cum incautior male obſeruaſſes, mor
ſus eiuſmodi perpeſſum eſſe, cuius afflatu
nominis tui compages tota ſoluta ſit. Quis
enim te ferat de numeris iudiciū dantē, qui
ſyllabarum quantitatē ignorares? atque is
cum eſſes Eraſme, in tabernarijs illis collo-
quijs tuis, periſſe cuidam eandem quanti-
tatem iactitabas: quoniā ī Gallia literarum
ſtudiis aliquot annos exegiſſet. Ergo aut
tibi ſtuduerat Eraſme ille, in quo poſtea tā
excellētiſſimæ prouinciæ īminueres auto-
ritatem: quæ prouincia iam nunc in illis ſtu
diis pro exmplari quodam omnibus natio-
nibus eſſe cœpit: aut quibus ille operam de
diſſet, in eos tua vitia ne transferres. Ait te
diſtractione admirabili fluctuantē inuidiæ
& veritatis, nuſquam tibi eo in dialogo con
ſtitiſſe. Quod quoniā peculiare, proprium
que eſt vitium tibi, tecūque ab exortu pri-
mo tuo radices egit ꝓfundiſſimas, feratur
ſane. Ad cætera reſponde. Nihil tibi obiicit
de queſtibus illiberalibus: quibus ad formi
dinem terrorēque optimi cuiuſque vitam
iſtam tuam cynicā produxiſti. nihil de adu-
latione, qua primorum procerum priuatim

aures ſcaberes, quorum ſtatum ſublatis no minibus generatim conuellebas. Nihil de auaritia, cuius magnitudine, quæ de te triũ pharent cætera omnia vitia ſuperari, etiam familiares tui dixerunt nobis. Nihil de ſuperbia, quę te adeo extulit inſolẽter, vt vix diffluẽteis illas tuas buccas, proiectumque rictum diducas ad ſalutãtes. Nihil de ebrioſitate: hoc enĩ habes de gręcis tuis: nequid fortius dicam. Nihil horum inquã tibi obiicit, Vnum dicit, tuis incẽdiis in Lõgolij rogo Ciceronis nomen ambuſtum eſſe. Quorum alterius vita cum tibi eloquẽtiæ ſedes procuraſſet: Longolii mors diſerti nominis regnũ, quod ipſe obtinuerat, vacuum reliquiſſet: tantarũ facultatum cõmoda aduerſus eorum dignitatem, qui te honeſtiſſimis ornaſſẽt opibus, atque excoluiſſent, crudeliſſime ingratiſſimeque cõuertiſti. Nam ſi dum viueret olim Lõgolius eloquentiæ arcem te inuito inuidẽteque obtinebat, nihil præcipuerat ſeni tibi adoleſcens, improbo modeſtus. Tantũ theſauri abs te, aut vita neglectum ſolutiore, aut aduerſantibus nequicquam quæſitum fatis, ab ſeſe vero tantis conatibus appetitũ, ab ipſa virtute, quæ laborioſos fouet oblatũ non reciperet? An tu putas Eraſme inter triuialia dictata illa tua, latitare potuiſſe eloquentiam: quæ ſeſe

tua latitare potuiſſe eloquentiam, quę ſeſe tuum in gremium dormitanti, oſcitāti que, atque etiā delicat'us faſtidienti inſinuaret? Ea cū te aut ceſſantem præterierit, aut otioſe ſequentē anteceſſerit, haud iccirco merita eſt, vt ſeſe propterea tandem fugientem inſectareris. O eloquētiæ vis immēſa, ęterna, diuina, Ciceronianā appello. Tu fontis defendere conſueueras: ij te damnarūt. Patronos tuos latrocinijs perſequūtur: ipſi in tuto erunt? Nemo te vnquā ſiniſtre attigit, quin extrema, nomine ſuo lueret ſupplicia. Eraſmus non te ſolum accuſauit, verū etiā ſuſtulit patrocinia. Nonne ſatis fuit autorū vita functorum expilatos libros in tui nominis ſupellectilem trahere? etiam viuētes iuſtiſſimis titulis defraudas? Ergo ſcito iam decē hos totos annos me in ora Aquitanię ita agitare, vt vix vnquam domo pedē extulerim. Hic neque vllum hoc literarum genere habitare mortalium, neque vllum eſſe præterea toto orbe terrarum locum, quo quiſquam doctiorū ſeſe conferat infrequentius. Quippe maxima pars agrorum cultu capitur: cętera turba mercatibus intenta; pauci pace regno parta, belli ſpe ſollicitātur literarum inquā, genus hoc neq; in honore, neque in numero eſt, vix vnus aut alter operæprecium putat aliquando ei operam

dediſſe. Qui vero ſuperſtitib⁹ primogeni-
tis fratribus alterius ſpe fortunæ, compoſiti
ineam laudē incubuerunt, ĳdem illis mor-
bo aut prælio abſumptis, vbi adita hæredi-
tate, bellatoris opinionem nouam captaue-
re, etiam veterum ſtudiorū memoriā quaſi
rem turpiſſimam deteſtātur. Quem igitur
miſer cōſuluerim horum omnium, quorū
ne vnum quidem vnquā habere potuerim
auditorem? Ego mihimet actor: ego ſcena,
ego theatrum. Quippe tota prouīcia ægre
reperias integra Ciceronis opera. Nam de
Plato. Hippocrate, Ariſtotele, Galeno, De
moſthene, Thucydide, cæteriſq; aliĳs talib⁹
loqui mihi religio eſt. Contra, præter eos
omnes quingenta amplius autorum volu-
mina eſſe nobis. Eorum maiorem partem
longinquis ſubuectam commeatibus, exi-
guam, quæ mihi meo ſtudio atque diligen
tia parata ſuperat, domeſticæ rei attenuaſſe
mediocritatem. In his me multum diuque
poſt cladem Rauennatē verſatū audiſſe, le
giſſe, ſcriptitaſſe. Eas arteis quarū loca ali-
quot in illa attigimus oratione, multorum
quos honoris cauſſa nomino, auſpiciĳs per
tentaſſe. Nicolai Leoniceni, Petri Pōpona-
tĳ, Cælĳ Rodigini, Lu. Gaurici, Ioānis Iu-
cūdi. Ii ſunt Eraſme qui orationē illā aduer
ſum te moliti ſunt. Ii ē ſupremis miſſi ſedi-

bus a Cicerone ſuſcipiẽdi tam ſancti patro-
cinij gratia, ore hoc ipſo meo cauſſam dixe
runt illam. Horum ego ſuaſu eloquẽtię pe-
riculum, cũ nominis mei diſcrimine ſociare
auſus ſum. Qui ſi erant Ciceroniani, videa
mus quam tuto poſt hac, in illius mẽdaciſ-
ſimi dialogi impunitate, qui iſtuc ipſum ne
ges, verſari poſſis. Si ab ea gloria, vt tu ſem
per atque impudẽtiſſime quidẽ iactas, lõge
abſunt: quid mihi denegabis, qui eorũ eru-
ditioni de meo quendam quaſi mundũ ap-
poſuerī. Hæc vero verba poſtrema mea, ſi
ad gloriæ florẽ vllũ oratiõe hac ſunt effuſa
mihi, explodantur prorſus. Sin neceſſaria
ſunt ad reprimendã vani hoīs arrogantiã,
ferantur hactenus: neque enim aliud pręte
rea petunt. Nam, per deũ immortalem, ne
probro mihi ſit ea de me dicere, quæ alij ad
agendũ laudis ac gloriæ propoſitis ampliſ-
ſimis præmijs ſæpenumero ſunt inuitati.
Ergo quem tandem ſubſcriptorẽ parat fin
gere Sinon iſte? Quo in orbe tandem? qui
bus in terris? Quo in cœtu? an non Belgæ
neſcio cui negotium dedit, qui de me, quid
eſſem hominis, ſe faceret certiorem? Adijt
vir ille honeſtiſſimo candidiſſimoque, vti
tũ præſeferebat, ingenio, vidit: vidit vero
honeſto loco, nobili comitatu. Congreſſus
eſt, allocutus eſt; vbi paucula more meo reſ

pōdiſſem; credo animi mei ſimplicitate in-uitatus, liberaliter admodum profeſſus eſt, cuius ſe rei ergò aduenisſet, increpuit, quā potuit modeſtiſſime orationem meam, nō argumentum ipſum; vt qui enim feciſſet id ille cuius in labris Cicero ſeſsitare tū mi-hi videbatur. itaque facile eam reprehēſio-nem in autorem retorſiſſem: non argumen to igitur offendebatur. Qui enim poſſet is, qui id mihi videretur ipſe præceptur⁹ fuiſ-ſe mihi: niſi amici ſui verecūdia eiuſcemo-di rei deſiderium extinxiſſet, ſed filum ip-ſum dictionis, quaſi violentior paulo effer-ret ſeſe, minus ſibi ꝓbari dicebat. Accepit excuſationem. ita diſceſſimus, vt intellige-ret, plura ſibi aduerſus eum cuius miſſu ve nerat, dicenda; quam in me de me ipſo pro illo conqueſtus eſſet. Multo plus eſſe præ-terea mihi tum animi, tum facultatis ad me am defenſionem, ſiquid durius accidiſſet, atque audaciæ fuerat, ad ſtultiſſimum calū niæ impetum cohibēdum. Quid quod ad-umbrat Eraſmus mendaciū Lutetiæ auto-ritate? Qua in vrbe ſcribit a me illā editam orationē. Nam cū ea in ciuitate omnes bo-ni Eraſmicæ arrogantiæ infenſi infeſtique ſint: ita putauit perſuadere poſſe poſterita ti, ex illius ſinu virum vnum quempiā de-legiſſe mihi, qui cum nomine meo operam

ſuam communicaret. Mihi vero vtinã vrbem illam aliquãdo videre cõtigiſſet: ęquo libentique animo ferrem: tãta felicitate, tãtum ſuſpitionis excitari potuiſſe. Nunc miſer, neſcio quo fato, & illo fructu careo voluptatis, cuius vſus etiam ſordidiſſimo cuique patuit: & vexor ab impuro hoĩs monſtro temeraria ſuſpitione hac: quæ nulli vnquam vel infanti damno fuit. Quis enim propterea quod Lutetiæ ageret, ea ſuſpitione verberatus eſt, vt putaretur alienis vigiliis ĩſidiatus? Eæ ſunt artes Eraſme tuę: per quas non licet doctiſſimorum frui conſuetudine, vt ego ita demum a calumnia tua longe abeſſe poſſim, ſi doctiorũ careã contubernio. Itane vero tuæ opinionis felicitas veriſſimo infortunio emenda erit mihi? vt diſertus tum demũ abs te iudicer, ſi eloquentiſſimorum virorum familiaritas fortunæ depulſu mihi ſit intercepta? vtinam vero, deus immortalis, contra mihi cõtigiſſet: vti clariſſimo cuiq; dignus viſus eſſem, qui eorum amicitia fierem auctior in re literaria. Vtinã Budęi doctrinam corã percipiendã mea mihi fata ne inuidiſſent: a quo cum tu aufers eloquentiam, quam te inuito inuidenteque habet grauiſſimam, multorum errorum tuorum ineptias enumeraſſet. Dixiſſet te græcis interpretandis, qui-

bus te iſti Iouem faciũt,ne Therſitem fuiſ-ſe quidem,non ſolum orationum flexus tractuſque diſturbaſſe,ſenſa ipſa euertiſſe, verum etiam primarũ momenta vocum ſingula ignoraſſe: vt inſulã pro Anate etiã poſueris miſer: quoniã græcę voces affines eſſent. Dixiſſet mihi te mathematicarum orbem ne attigiſſe quidẽ. Dialecticę deterritum difficultatibus,adductũ quaſi Euryſtheum alterũ, vt quę pericula exhorreſceres, ea turpiſſima fuga mature deuitares. Dixiſſet te nulla in natura philoſophum,chriſtianam ſapientiam nugis atque fabellis venditaſſe, fucis incruſtatam impudẽtiſſimis mẽdacijs proſtituiſſe laniis, coriarijs, piſcinarijs,fabris, mulierculis. Rudiſſime ac ſimpliſſime plębi abs te fucum factum: eas abs te eorũ animis inuſtas notas, quę pluſquã quinquaginta milliũ cœſorum ciuium ſanguine elui miſerrimũ fuit. illis tu mortuis Eraſme, viuis etiam? eis tu defuiſti, vt etiã ſupereſſes? illorũ tua opera interfectis corporibus, etiam noſtrorum nominũ nouos interitus moliri ſtudes? Vtinam me in ſanctiſſimi pectoris ſui penetralia Germanus brixius admiſiſſet. oſtenderet enim ſumma cum virtute,rara cum eruditione generoſã eloquentiam coniungi potuiſſe. Quem tu impudentiſſime in conatu adhuc hærere la-

borareque præclaro illo in dialogo tuo dice
re non erubuiſti. Qui quoniam maiore prę
ſtat animi moderatione, quã quãtum elo-
quentiæ de illo detrahere potueris tu: ad-
duci nõ potuit, te vti viciſſim vlciſceretur,
ac ſemibarbarum vocaret. Hoc igitur per-
mitteret mihi, atque ad te ſciberet. Tantum
in me ſcientiarum obſeruaſſe, vt garrulita
ti tuę optima nobiliſſimaq́ argumẽta ſup-
peditare valerem. Tantum ad dicendum fa
cultatis, vt partim fœdę, partim pueriles ma
terię librorum tuorum a me multo commo
dius atque cõcinius vel adonari, vel conte
gi poſſint. Quodcũque conatus ſis tu, a me
hoc minore negotio perfici: quod ego per-
fecerim, nullo abs conatu confici potuiſſe.
verũ me tua illa leuicula, ridiculaque ſtudia
deſpexiſſe: te noſtra hæc grauiſſima atque
acutiſſima deſperaſſe. Vtinam videre mihi
licuiſſet, è ciuibus veſtris eloquentiæ Tul-
lianę non verbis aſſertorẽ modo, ſed ęmu-
latorẽ quoq́ maximum Iuliũ Pflugũ. Qui,
quoniam & vir eſt cãdidiſſimus, & amicus
tibi, oraſſet me donarẽ amicitiæ veſtrę que-
relas meas. Te vero, qua eſt ſingulari virtu
te præditus, monuiſſet, deſiſteres ab iis in-
temperiis: neque me vocares impudentem:
cuius vitę rationes ea pudicitia, eo pudore,
cõſtãt, vt nihil ſit quod obiici poſſit mihi, q̃

quod te ſerius, atque par erat. furentem cõ peſcui. Neque mendacis nomen obijceres, qui ita mẽdaces odiſſe cõſueui, vt hæc vna fuerit cauſſa, qua te a meo ingenio auerſiſſimum, deteſtarer. Neque furioſum me diceres, ſed teipſum: cuius facibus ſceleratiſſimis, totius literarii orbis cõcordia cõflagrauit. Nihil enĩ me ſedatius, nihil ęquabilius in ciuili ſocietate, in cœtu hominum: nihil magis cedens inſtanti amico: nihil obſequẽtius honeſta poſtulanti. Ita vero M. Brutũ libertatis vindicatorem, furioſum voces, licet. Sic Ariſtogitonẽ, ſic Cynegirũ, ſic thraſybulũ. Qui, quales ciues ſui eſſe deberẽt, præluxerunt exemplis: quales hoſtes eſſẽt præclaris illis facinoribus ſub reipublicæ oculos ſubiecerũt. An vero id quoq; ignoras tu: magnanimitatis eſſe partes duas. Alteram, qua iniuria toleratur: alteram, qua vlciſcimur. Illa polluiſſe Achilles dictus eſt. Hanc Aiax illi prætulit adeo: vt mortẽ mori maluerit, quam ea, quam putaret, vilitate ſuperari. Illa prior virtus nos diu, atq; etiã diu nimium tenuit Eraſme. Cum in centuriis tuis maximas faceres digreſſiones: vti fingeres fabellas, quibus Theologos nr̃os nihil de te tale merẽtes, etiã nominibus appoſitis proſcinderes ſcelerate: nemo noſtrũ verbũ fecit. Silebam⁹ miſerrime tragœdię

ſpectatores, iniqui ciuibus chriſtianis optimis viris, quaſi nihil ad nos pertineret. Cũ teipſum in ſtultitia tua, non tanquã in ſpeculo, ſed perinde atque in regno tuo collaudabas; affuimus, operã dedimus ĩ cõcione, facile paſſi ſumus, ſemel id eueniſſe, quod nondum contigiſſe dicerent ſapientes. Inuentum aliquem, atque extare tandem, qui ſeipſum probe noſſet. Cum obliquos illos tuos cuniculos agebas in arcẽ Theologiæ chriſtianæ, per quos manipulares veſtros ad eam ſubruendã ſummitteres: nihilo magis commoti ſumus. Erat enim ſatis animorum propugnatoribus noſtris, qui detectis inſidijs tuis, illos cœleſtibus ſtipati præſidijs deiecerunt. Et nobis non deerãt munimenta, quibus obſepta, vallataque pectora ꝓ noſtris mœnibus excubare tuto poſſẽt. Vbi vero per miſerrimas religionis noſtrę ruinas ad eloquentiæ euerſionẽ atque excidium gradus adiri, atque aſcendi abs te cœptus eſt: quæ olim futura proſpexiſſemus, neque impendẽtia pertimuiſſemus, ea iam infeſta, quod reliquum erat, depellẽda fuere. Itaque in altera illa eiuſdem magnanimitatis caſtra confugiẽdum nobis fuit: Cuius fidem opẽque aduerſus impreſſiones tuas tumultuoſas imploraremus. Quæ magnanimitatis pars, ſi te ex ĩprobiſſimis latebris

conſiliorum, quo teipſum abdidiſses, eru-
tum, conata eſt efficere, vt animo eſses cul
tiore, atque cōpoſitiore. Eſt profecto quod
debeas nobis, quorum ſtudijs, atque contē
tionibus compulſus es, ad eam ſuſcipien-
dam viuendi rationē, quæ ab ineunte æta-
te tibi fuerat ingrediēda. Hæc erexi ego tro
phęa meo marte, ſine theſeo, Hercules alter
excetrę exciſor. Quis igitur audebit ſe vi-
giliarum mearum pro autore gerere? Quis
ad hanc tuam expeditionem nomen dabit?
Libri tres de exemplis eloquentiæ amiſſi
ſunt mihi. Expecto ſuſpenſus animi quid
rerum acturus ſit plagiarius. Quod ſi quis,
vt tibi gratum faciat, hoc ipſum de oratione
mea mentiri audeat, profecto haud paruum
ille ſibi malum quæret. Nam certe cum hu-
iuſce fallacię mihi in mentem venit, vix e-
quidem riſum continere queo. Tanta te ani
mi commotum perturbatione, vt ſuborna-
turus fueris ex amicis tuis vnum quēpiā,
qui ſeſe tibi inimicū profiteatur. Plus apud
te potuiſse mentis conſternationem, quam
amicitiæ ius illud, quod deus opt. max. nō
ſolum fœderibus humanis prẹeſse voluit,
ſed etiam cœleſtibus coniunctionibus mo-
derari iuſsit. Tu nihil penſi habeas, te illius
amicitię, modo ego meę laudis parem faciā
[illegible] videamus cuiuſmodi vir, qualis

ſit ciuis: Qui vt aliena prodigat, profundit
ſua: Vt alŋs malefaciat, bona ſua diſperdit:
Vt alienam proterat ſapientiā, ipſe deſipiſ=
cit. Tantum in te potuit vecordia, vt ex mei
odio, tui oſor factus ſis? detectæ ſunt artes
Eraſme tuę, pluſquā Punicę. Patent aſtus,
doli, fraudes, turpes, fœdę, p̄fidioſæ. quare
quibus tu illudere nobis putabas, tibi ipſi
ĩpoſuiſti. Egredere ex optĩorũ virorum cę
tu, egredere furia, nimis diu tulimꝰ te. Nã
quid aliud hoc eſt, quam ſũ mittere percuſ=
ſorē, qui mihi vitam adimat? An neſcis tu
noĩs mei ſacrā memoriā, ſancta monumē=
ta quauis mihi vita cariora? Age tandem
produc Phormionem tuũ. Deus mmorta=
lis, quid fiet illo? cum a me certis in locis o=
rationis meę interrogatus nihil reſpōderit?
Quis em̄ veſtratium omnes eas excuſsit ſe
des, vnde accepta quamplurima ſunt? An
vero iuſtis conqueſtionibus librariorũ in=
curiā deteſtari ſciet? Quorum culpa inertiſ
ſima ea oratio fœda, atque deprauata in vul
gus ita exiuit, vt etiam barbarum verbum,
quod in margine quaſi pro gloſſemate ap=
poſuerat Amanuenſis, quoniā quę in con=
textu legebātur, ea in ſignificatione ſibi eſ=
ſent obſcuriora, expuncta legitima voce ſe=
mel, atque iterum ſubſtituerĩt. Verum fac
illi hæc omnia in promptu eſſe: Eruditionē

admirabilis ſit: diſerte loquatur, librarios accuſet: omnia diuinet: an vero oſtēdet etiā commentarium meum, meditātis manum, oculos, mentem ipſam, alia atque alia capita perſequentis? Quæ peruerſe vetule, apud me etiā nūc extare manu mea ſcripta, deleta, inducta, vt precio aſcribā, quę abijcere ſolitus eſsem, tua prauitas in cauſsa eſt. Prò dei atque hominum fidem. Non licere mihi editis in vulgus mille exemplaribus, igni abſumere commentarios, quorū exemplo illa deſcripta ſunt? Qui, quoniam haud primo quoque rerū apparatu ſequūtur verba, atque iccirco non pauca inuerti interdū neceſſe eſt, nō ſine periculo noſtri nominis ſupereſse poſsunt. deprehēdetur enim hebetudo mea, ignauia, tarditas: fortaſſe etiam barbaria. non illa tua ſupina, præceps, atque natiua: ſed intentus animus ad rem ipſam, multo plura mandat manibus, quam quātum exhaurire poſsint. Qui ſcis an magiſtratus interuenerit ſalutandi cauſſa? quid ſi amicorum officia, manum vti de tabula tollerem, coegerūt? quid ſi opulētiores ciues, vicini, affines, otio ſuo negotium mihi fecerint? Quid ſtrepitus familiarium? quid his in vindemiis mulionum, veterinorum, carrorum tumultus tam grādis vt ne tonitrua quidem exaudiri poſsint? Non li-

cere hęc inquam, mihi per tuā peruerſitatē flammis dedere? vt, cuius noīs labē multa cura, multis deleuerim labotibus, id nomē niſi prolata, atq; edita atq; cognita labe illa, mihi amittēdū ſit, Tanta eſt immanitas tua vt, quod virtus, ac decorum ſuaſit, iſta effe ratiſſima barbarie prohibeatur. Nam vt primum hunc abs te rumorē dimanare ſenſi: eſſe illam non vnius, ſed multorum farraginem cucullatorum. hæc ſunt enim atque alia ſimilia verba tua ſatyrica, quibus purā illam eloquentiam deformaſti. Ad exiſtimationem meā pertinere ratus ſum, ſi rēipſam pro teſte ſuperſtitem conſeruarem. Cucullatorum videtur ille ſtilus tibi, qui negares ſemper, intra eorum clauſtra ſeptaue quicquam, præter muta pecora cōtineri? idque valido quippe argumēto, propterea quod, inquis, mutis piſcibus veſcerentur. Quorū eā tu ciborum moderationē, non ſolū vna cum cucullo, verū etiā cū modeſtia abieciſſes. Extant, extant lituræ viri huius manu, mente, cogitatione factæ. quæ tui nominis ſanguine aſperſę, quin a præuaricatoribus tuis agnoſcantur, fieri nō poteſt. Men' Lutetiam commigraſse, vt te de inſolētiæ tuæ arce deij cerem? Haud pfecto tantum fuit itineris ſuſcipiendum. Nimis te magnum facis Eraſme. ad tuam molem tantis appa

ratibus nihil opus eſt. An vero in te tantū exiſtimaſti, quem tecta mea ita capere non poſsent, vti te Lutetiæ conquiſitum confutaremus? Meis in ædibus ſub Dialogi tui clypeo latitantem captiuum feci; nolentem deprecari, vinxi: negantē eſse hoſtē, am iſi manu. nunc peiora molientem ſi confodiamus, dices nos armorū cauſſa Pariſios adiſſe. Ergo quem deflagratæ eloquentiæ cinere obruimus olim, nūc in gloriæ noſtrę incendio cōflagratum cōficiamus. Cęſar Lutetiam propter Eraſmum, ac non propter Lutetiam Eraſmus a Cæſare victus eſt. Nā me beatū puſillo, ſed certo lare, nec ſordido nec inurbano. tedet iā admodū quotidianarum peregrinationum, quę mihi cariſsimū theſaurum temporis ſuffurātur. Libri mei mecum ſunt, eorum opera, cōſilio, benignitate fruimur. Siquid mihi probatur, aut intelligitur minus, æquo animo fero, amplio iudicium, contentus horas vulgi fefelliſse. Neque enim meum vēditare, ſed aliena iudicia emere, id vero ī lucro eſse deputo. Nego iterum a me vllum vſquam mortalium, annum iam quartum decimum, non ſolū cōſultum, ſed ex ijs quoque, qui paulo ſint in literis mediocrius promoti, ne conuentū quidem dico. Ita regio hæc literarias curas non negligit modo, ſed irridet quoque. Si

quem paulo eruditiorē obtulit fortuna mihi, nihil minus quam literas inter nos agitamus, leuiculas ſed ſuaueis cōfabulatiōes: De bellis, De tempeſtatibus, De cōcordia principum, De armentis equarum, De venatione. Vbi collibitū eſt animo meo ſecedere in loca ſecretiora, adſum egomet mihi atque etiam præſum acerrimus vindex veritatis. Qui vero me aut infantem, aut pupillū ratus eſt; ne is tales fortaſse haud multos habuit domi ſuæ curatores. Neque enī qui ſic vixiſset, ita loqueretur. Neſcit ille veterum pene omnium plus centum libris examinatā eruditionē? Neſcit me priſcorū negligentiam in prodendis ſimplicibus medicamentis, recentiorum imprudentiā in veteribus caſtigandis, ſolum omnium prudentiſsime emendaſse? Neſcit criticis dialogis multis, non cæteros medicos modo, ſed Galenum quoque, ſed Ariſtotelem ipſum ad veritatis metas reuocaſſe? Neſcit mihi iampridem alterā elaboratā orationē, qua illi oſtendam, quis ipſe, quis ego vir ſiē. Eā equidem hactenus ſuppreſsi amicorū rogatu: qui me humanę monerent fragilitatis. Plus parcendo interdū acquiri gloriæ, quā inſectando. Ne vero eam cruentam facerē victoriā, quę mihi a deo immortali de ſuperbiſsimo hoſte data cōceſſaque fuiſſet. Quid

amplius vellem, quam viciſse? quam vnū omnium Dodonęo tintinabulo ſilentii ſeruitutē īpoſuiſse? Etiā ne cū cadauere, quod feciſsem, exitiabiles inimicitias ꝑpetuarē? His ego rogantibus, dignitati meę conſulētibus quid reſponderem? facile itaque vinci paſſus ſum, qui ꝓ veriſsima victoria mea ſeſe me commonefacere prædicarent. Dedi manus. Quid enim mali amplius ei facere poſsem, quā ſibi feciſset ipſe, qui ſuę famę, ſui nominis decoctor extitiſset. At opinor, poetica monumenta mea ſordent viro, latinę linguę, Romanarum munditiarum deliti{js}, qui ipſe latio plus attulit flagitii atque peregrinitatis, quā quiſquam vnquā puritatis atque elegantiarum hauſerit. Pręterea qualia noſtra ſunt, multa videt euomi quotidie inter popinones ſuos. Vulgaria ſunt, Sordida ſunt, Inepta, aliena. Epiſtolę affixę Barbarę, Semigræcę. Cōquiſitæ, Corrogatæ, Emendicatę e puellulorū exercitiis, ſordidorum prouerbiorum centonibus cōſutę, conſarcinatæ. Nomen ergo meum poſtquam illius teſtimonii luce caruit, obſcurū fuit. Neque aliūde aut oraculum, aut olympiorum iudicem petere cuiquā ius faſque eſt. Quem cenſor iſte prætererit modo, nedum vt notam aſcripſerit, is literaria tribu amotus, exulet. Theodectes ego, cui librū

ſuum Eraſmicus neſcio quis Ariſtoteles
dono dederit, ad edendum. O miſerũ poe-
tam, cuius ego fabulæ actor ſim. O eundẽ
prudentem. Nam quid miſerius, quam pro
aliena gloria laborare? quid tũ autem pru-
dentius, quam certo conſilio ineuitabiles
Eraſmi manus effugere potuiſſe? Quippe
quem procul miſſilibus ſuis meo impeti-
tum impetu ſpectet tutus. Siue ille occum-
bat, laudem reportaturus: ſiue victor ſæ
uiat, impunitatem. Iam quanta illum ſpe
ſubornatorem meũ prius inflatum, nuper
decidiſſe dicas? Qui cum meum nomen
ferociſſimo cani lacerandum obieciſſet,
ex metu ſuo victoriam mihi comparatam
intuetur. At vero Eraſme, poſtquã tu non
reſpondiſti mihi, poſtquam docti negant,
omnes, vel minime obiectionum mearum
a quoquam, etiam qui te ſit impudentior,
reſpõderi poſſe: volitatque per ora homi-
num oratio illa, eorũ quoque qui tibi amici
fuiſſent antea, tanta gratia, vt ab ipſa natu-
ra eloquentiæ parente edita, nõ a quoquã
ſcripta videatur. Quare tacitus ſedet ille,
neque ſibi tantum laudis vindicat, quæ ſit
ſua? Quid enim illa tẽperatius, vbi vir bo
nus agendus eſt? quid ſubtilius, vbi diſpu
tandum? Quid doctius, ſiqua tibi tuiſque
ignota loca, ſunt excutienda? Quid porro

incitatius, vbi monſtri caput iſtud teterri mum petendum, vbi feritas expugnanda? Quid tota illa preſſius? limatius? Quid, quod omnes tam affectant, nõ pauci quid rei ſit id neſciũt, multi fruſtra querunt, At ticum magis? Nam artem ipſam ſi deſide rari in ea dicã, reclament ij, qui quanto ma gis eius ſcientes ſunt, tãto maiorem agnoſ⸗ cunt ibi. ſin aſſentiar: tum te igitur captum, deceptum, circũuentum lamẽteris. Credo quod erat e Ciceronianarũ fruſtulis oratio⸗ num, teſſelliſque compoſita miſere, atque inepte conferruminata, eam ille ille præcla⸗ rus autor tuus pro ſua recipere noluit. Ne puerilibus deliramẽtis ex impudentia ſua, atque imprudẽtia mea negotium tibi exhi⸗ buiſſe videretur. An contra, quoniam mi nime talis eſſet, veritus eſt, ne qui pro Ci cerone diceret, minus ſecundum Ciceronẽ loqueretur? At cõparetur ea cum illorum ſcriptis, quos eius autores faciebas. Videa mus quid rei abſterruerit eum virum, cui illam certis argumentis reddi reſtituique poſſe dicis. Hãc vero meam prędicationẽ, ſi pro inſolenti haberi petis, haud æquum poſtulas Eraſme. Licebit enim mihi tanquã alienam, vti tu deblatteras, rem, orationem illã & admirari, & efferre laudibus. Itaque qui eius me autorem verum putant, eis ne

ſit dictum: vni tibi, qui non putas, dictũ ſit. Tu vero interea iſtud tuum, quod fingis, ſpectrum, vbi terrarum tandem collocas? vbi tui metu trepidum deliteſcit? Tanto, tã præclaræ in curſu laudis, quare non inijcit manus ſuæ? Metuit te confoſſum ſcilicet, cuius integras vires contemnebat. Pro Cicerone auſus eſt aduerſus te viuentem, florentemque dicere: pro ſeipſo, quem & impudentem appellas, & mẽdacem, tibi iam ab ſeſe iugulato reſpõdere pertimeſcat? ergo tu illi vnus viſus es, quem dignum exiſtimaret conuicijs ſuis, quæ tibi veriſſima faceret ſeueriſſimus obiurgator: indignum vero cui nomen ſuum obiectaret? En quo res tuæ, vti redierint, feciſti miſer. quaſi te hac indignitate dignum ducat. Verum mihi hac in parte diutius immorari neque aperta calumnia patitur, neque meus pudor ſinit. Nunquam es a me viſus Eraſme, non tuum mihi quiſquam os duriſſimũ oſtẽdit. Sed tuipſe peruerſam impotentis animi tui malitiam oſtentaſti. Nam de theologis noſtris quę mentirere, quo minus ijs haberẽ fidem, vetabat eorũ ſimplicitas, tua fraus: illorum verecundia, tua impudentia: illorũ doctrina, tua inſcitia: illorum apud principes viros gratia, tua inuidia. Vera tamẽ eorũ aliquot, quaſi eſſent, ſuſpicabar interdũ

quippe homini tam grandi natu, pręſertim cui iam mentiendi crimen ab optimo quoque adeo frequenter eſſet exprobratum, in mentem venire poſſe, vti mentiretur, difficile mihi erat ad perſuadendum. Nunc vero cum ĳdem illi te non ſolum inſanũ, verumetiam prauum oſtẽderint: quod ex eorum verbis colligebam, ex hac, quam nunc fabricatus es, calumnia, palam video. Ergo cum tantum audaciæ ſatis ſane mirari non queam, admonitus ſum a quodam loco orationis meæ, cuius argumento tantum occepiſſe inſaniæ videri potes. Ibi enim cũ mul tas varĳs e ſcientiarum fomitibus accenſas faces ori tuo impudẽti admouiſſem, addidi ego & id: Me mihi ab alĳs dictata rudi, atque impolito militi, quæ narrarem tibi. Quibus e verbis vtrũ tandem mauis elici quod tuis faciat obiectionibus? Oratiõis ne autorem non eſſe me, quoniam id nunc ita negare viſus ſim. An conuinci mendacĳ, qui quod vltro confitear, hoc verũ non ſit? Nam profecto cũ vtrũque obĳcias nobis, alterũ euenire neceſſe eſt. Vnde igitur potiſſimum initium ſumam defenſionis meę? Quid capiam cõſilĳ? Qua ratione, quibus artibus, tantis me explicem impedimẽtis? Cui, neque operis mei tam præclara laus, pręſertim inimici ſurrepta dolis, amittenda

eſt;neque tantū tā fœdi criminis dedecus,a mendaciſſimo obiectū hoſte ſuſcipiendū. At tu,per Deum immortalem,deprehēſus Eraſme quid facis? eludis, elaberis lubricꝰ, negas;ſed fortiter, atque inuicto vultu negas, producta contra te ſcripta tua diſſimulas,animi tui profers ſimplicitatem,rerum minus ęquos æſtimatores,minus cādidos, magnis conquæſtionibus deteſtaris,abs te aliam in partem dicta, atque a bonis viris accipiātur. Hoc igitur faciam? nam puto te nihil ad ea reſponſurum,quin ſexcentis in locis,ijs freto artibus tibi,pro nobis contra te reſpondiſſe videaris. Faciam igitur? minime.Nam qui me tui diſsimillimum eſse iudicatū maximæ meę laudi aſcribere ſolitus ſim,ſi tuis inſiſtam veſtigijs,nolim huius tam ſanctæ exiſtimationis iactura hanc imminentem effugiſse videri tēpeſtatem. Cōtra igitur faciam,Dixi Eraſme:illa,quæ aduerſus te ſentirem,ab aliis dictata.Dixi. Ergo vtrum mauis in illis mentitum me, an vera dixiſse? Quid ſi vtrunque tuo magno cum pudore,mea maxima cū gloria? Age mentitus ſum.Ego enim orationis illius autor,etiam ſi nō vino,quo te differas, ſed inuidia,qua rumperis,diſrūparis: quo minus ſim,ſed ſolus inquam, tota tua barbaria,tota illa tua immanitate efficere nun-

quam poteris. At horum nos Eraſme men-
daciorum nihil profecto pudet. Sunt enim
artis, non hominis. Te vero tantum Rhe-
torem, ſic enim teipſum vocas vbique, qui
vbique tamen rhetoras plenus amētiſsimę
leuitatis, tanquam nugas irrides: tātum ar-
tis, tam apta fultum diſsimulatiōe attinge-
re, nedum vt aſsequerere, nō valuiſse? Nā
in te qualia violentius intorqueri tela po-
tuerunt, quā quę a doctiſsimo quoque mi-
hi ſuppeditata ſimularem? Erat res mihi nō
tecum, ſed cum multorum opinione. Quā
de te delicatiores, laboriſque fugitantiores
ſumma cute decurſis libris tuis, ac vix de-
libatis, miſere nimis ac temere imbibiſsent.
In eiuſmodi pectora, ſubtiliora paulo argu
menta ægre admittuntur. Tāto minus mea
tunc, cuius oratio illa vix titulo prælecto
indigna eo tempore viſa eſt, quæ porro le-
geretur. Quoniam domeſticæ gloriæ aura
contentus ſero meæ famæ nominisque cur
ſum ancipitibus iudiciorum tempeſtatibus
commiſiſsem. Quo tempore, Deus immor
talis, quanta ſtrue, quantaque congerie
librorum tuorum ſtipatum circunſtrepę-
bant adoleſcētium ſodalitates. Qui ſolidio-
res e veterū lautitiacibos aſpernati, ad tua
ientacula miſeri confluebant. Quæ igitur
auxilia in arcibus, quas olim tenuiſsem,

magno tumultu, noctu accenſis frequenti-
tibus ad murorum pinnas funiculis, ad hoc
nouum genus tormentorum, aduerſus ho-
ſtium magnum numerum ſimulaſsem, hoc
eodem gregales illos deluſi tuos. Qui cum
me nouum atque obſcurum ſpernerēt im-
peratorem, quaſi Triarios quoſdam, a qui-
bus argumentorum meorum robur in vlti-
mis ſubſidiis foueretur, pertimeſcerēt. Igi-
tur illa tela, illa conſilia, ille impetus, mea
fuere. quæ ſi de robore, ſi de pectore, ſi de
corycio atque pharetra mea tuum in exitiū
deprompta ſunt, miraris e noſtro vulnere
ſanguinem tuum ſecutum? Nam vter ſtul-
tior ſit? tu, qui me tam ſtultum putaſti, vt
ea inſererem orationi meę, quæ mei me la-
boris gloria defraudarēt; an ego id ſi feciſ-
ſem? Niſi amētiam tuam alia corrigere ve-
lis inſania. Maliſque a ſubſcriptore meo
mihi data verba, cū ea ſcriberem, quaſi ne
illa quidē, quæ mihi dictarentur, intellexiſ-
ſem. Fabrum quempiam tuæ claſsis Cæſa-
rem Scaligerum putaſti inſane? Cuius ſpi-
ritus arrogantia omnium bonorū gloriam
difflare conatus eſt. Propone vero mihi tu
recentiorum tuorum, quos velis, elige au-
dacter, obiice, eorum pace dixerim, erudi-
tionem atque eloquentiam ita admirabor,
vt perlibenter talem mihi ſummis votis ex

petẽdam putem. At vero ſi ita intemperantiam tuam æmulantur, vt ſibi nomen meũ me commodaturum ſperant, minus ſapienter, ſciteque alieni ingenii inierunt ratione͂. Nam vter ſtolidior tandem fuerit? egone, qui neſciã quod in periculũ me coniiciat? quoque ille progredi nolit, me ꝓpellat. An ille, qui ſiue inepte falſa dicat, hoc ipſo ſtultiſsimus ſit: ſiue apte appoſiteque profiteatur, tum vero ſit quouis amente inſanior. Nullo periculo, nullo metu. quis enim tam væcors ſit, vt bona in cauſſa timeat? non ſibi viuenti, videntique gloriam e manibus eripi, ſed ea ipſum ſeſe defraudare. Nã multos mortales arbitror ego eo eſſe ĩgenio, vt aliis argumentis, alieno labore laudem ſibi quęrere inſtituerint, vt aduerſus tam tetrã belluam cuipiam nomen ſuum ſubiicerint, vti id facerent, ad hoc vero adduci nunquã potuiſse. Ergo ego hoc ita, vti dixi, mentitus ſum: vt te, quæ tu dixiſses, oſtenderem mentitum. Quid quod me vera, mentiendo, dixiſse ſuperius indicaturũ pollicebar? Hoc igitur agamus: Nã quem me putabas, cũ illa ſcriberem Eraſme? tantis locis vſum, tantis argumẽtis, qualia tu refellere aut infringere nullo conſilio poſses, meo e penu omnia tibi illa deprompta appoſuiſse? minime vero id fieri potuit. Quid enim ſci-

mus nunc nos, quod ex autorum libris ad vitæ noſtræ rationes non accommodauerimus? Loquũtur vero etiam nunc maiores noſtri ſuis in monumentis, non animę tantum diuinitate immortales, ſed etiam mentis ſuæ præclaris operibus adhuc ſuperſtites, pro nobis. In quibus conſulti etiam dictaturi ſunt multo maiora, quã quæ tu dudum exhorruiſti, ſuis e fontibus flumina illa deducturi, quibus incẽdia tua extinguerentur ipſa; tu obrueꝛere, quãquam humanius a me factum fuiſſet, ſi nomen meum vltro labores ſuos deferẽti accõmodaſsem, quam tu: qui omnium ſæculorum autoribus, compilatis argumentis, ſententijſque, ingeſsiſti tuum. Et conſultius feciſses tu, ſi colloquiorum tuorum nugas, puerorum quos erudiebas, nomĩe edidiſses. Quantũ enim illis ætas veniæ poſtularet, tantum abeſſet abs te vituperatiõis, quã illis delira mentis es conſecutus. Præmaturo nanque plauſu ab imperitis atque ſupinis recepta comeſsatoribus tuis primo, poſtquam diligentius eruditorum prudentia obſeruata ſunt, facilime celerrimeque defloruerunt. Verũ me altius obſedit animi dolor iuſtus, quã aut res, aut perſona merita fuit. tametſi hęc ita me aut dixiſſe, aut ſcripſiſse, aut etiã

cogitaſſe de illo, putetis velim, vt præludia quaſi ſint quędam modo, ſolidę vero ſcenæ ſuperſint: in quibus Herculem verum, ſed ſanum illum acturi ſumus. ſileat: loquatur; obloquatur, cauilletur, mentiatur; ille aut pro illo cui cui collibitum fuerit; ſuſque deque habebo. Nã ꝓfecto, dicam enim quod ſentio, dicam, eius me conuicia non modo ſine timore, ſed etiam cum aliqua ſpe glorię ſemper expectaſse. Quippe cum viderem eloquẽtiſsimo atque ſanctiſsimo cuique ab hoc fieri negotium: quoniam virtute mea illius odium ꝓmereri nõ poſſem: eius odio, virtutis cuiuſpiam, quæ in me eſſe deberet, facerem apud poſteros opinionem. Etenim ſi iſte vniuerſę religiõis ſanctas cerimonias, leges, mores, ritus, ſacra omĩa, quæ dei opt. max. manu & ſcripta & tradita nobis eſſent, non ſolum improbauit, vt ipſe contemneret, vérum etiam diſſuaſit, vt de hominum pectoribus delerẽtur: ſi ieiuniorum, ſtatarũ precum, virginitatis ſtatum, quibus Deo immortali ſimilimi eſſemus, labefactauit: contra, ſi ignobilitatis ſordes collaudauit; ſi ſtultitiam encomijs, vt ipſe pergræcatur ſemper, non ſolum ita in animos induxit ſuorum, vt in ſeipſo integram, nihilominus retineret; ſed etiam quaſi mẽ-

tis noſtrę principem atque moderatricem, dei opt.max.aſſeclam in cœlo pro numine adorandam collocauit. Quo nihil fieri potuit ſceleratius: quid enim deo attribuatur, quod ipſum non ſit deus? Si igitur optima quæque vituperauit, peſsima collaudauit, quid ille amplius aut vituperatione ſua ad meam exiſtimationem augendam: aut collaudatione ad laudē minuendam cōparare fortius potuiſset? Ergo verendū fuit cuiquam, ne illius ego aduerſum nos calumniam magni facerē? A qua neque M. Tullium Ciceronem, neque religionem noſtrā tutam habere potuerimus? An ab eo laudes iucūdiores, gratioreſque, quam conuicia ſperarem: qui, & fœdiſsima hominum mōſtra ab eo ſummis laudibus in cœlo collocata: cōtra, aurea ac diuina ingenia de eodem detracta cœlo: quod eſsent virtute ſua illa cōſecuta, aut occultis petita offenſionibus, aut ſubdolis præterita diſsimulationibus, aut aperta impudentia impugnata animaduertam? Fuit olim tempus, illud fuit: cum multos, quos ille ſcribēdo celebraſſet, ſummos viros putaremus. Ii, ſi ſaperent, maluiſsent illius periculo tantos credi, quā ſua ipſorum opinione, quam ex illius adulationibus cepiſsent, tales ſeſe prodidiſse:

Nullius apponam nomen, nihil enim cum illis mecum, præſertim cum ſeipſi qui ſint, ſatis indicent. Legantur monſtra, quæ circũ feruntur, non libri. Cuius iudicij mei, eorũ neminem pigere decet. Nã ſi quis ſeſe im- probat, mecum & ſentit, & facit: ſin ſeſe ita commẽdat, vt aliorum iudicium meruiſse credat, ne me tam barbarum putet, vt verã laudem mea obtrectatione obtritam velim. Quod ſi eorum aliquis ita male nunc ſecũ agi conqueratur, vt extremam laudis ſuæ fortunam aduerſum me tentandam exiſti- met, paratum me ſentiet, nõ minus ad exci- piendos ictus, quã ad inferẽdos, prõptum. Neque enim, qui me in acie nunquam vi- derit fugientem, in vmbratili hac literario- rum ludorum pugna cedẽtem arguet. Au- dieram aliquando Germanum quendam orationi meæ reſpondiſse, verum ea fama & propior rumori fuit tunc, & poſtea cum omni memoria emortua eſt. Suggeſserat, opinor, cuipiam Eraſmus tela, quæ in me ia cerentur. Ne hoc quoque verſutiæ genus in ipſo, qui omnia profiteretur, deſiderare- mus. Vt alieni nominis diſcrimine, ſui ſto- machi cruditatem fouere poſset. Vtinam id ita ſit, plures profecto Eraſmi errores a- perientur, ſed noui illi atque illuſtres, quã

vt legitimum in numerum referri queant. Qui dum a me cõdonantur, temporis vſu-ram capere prudẽtię eſt; ſin acrius, aut pro-pius inſtabit, veniam amplius non merebi-tur, quam ſilentio impetrarat. Nolo perſe-qui cęteras ineptias illarum literarũ; neque id nũc mihi aut conſilium, aut propoſitum eſt. Sed in me finem dicendi faciã, qui in il-lo maledicendi non poſſum. Ac quãquam de homine amico atque bene de vobis me-rito quicquam ſiniſtre ſcribi minus æquo animo vos P. Nerbel. atque Io. Baptiſta Laurentia laturos putandum eſt: tamen ſi propius candidiusque cauſſam meam co-gnoſcatis; hæc a me dicta, vt quis eſset iſte Scaliger intelligeretis, æqui boni conſultu-ros confido. Ea enim epiſtola, quam ad me perferendam curauiſtis, ita pro ſe loqueba-tur, vt pro me mihi haud aliter dicere lici-tũ ſit. Ac tametſi naturę veluti legibus qui-buſdam conceſsum eſt, vti iuſto dolore qui permouentur, conuicioſa verba iacere ſine reprehenſione poſſint, eoque Eraſmi de-beat miſereri me, quem furere clamitat; ta-men nunc is ita ſit ferẽdus, ſi nõ prius inſa-niſset. Quo magis miror eam veſtra opera ad me perueniſse epiſtolam: vt & miſsam velle videremini: & miſiſse, quaſi dedigna

remini. Nihil enim a vobis literarum addidiſtis. Verum ita vt manu ſua ſcriptam ad vos dederat Eraſmus, integris titulis veſtris, addito a tergo meo nomine, ad quem nuntius dirigeretur. Id conſilij, ſi ea eſt a vobis initum ratione, vt me deſpicatui haberetis: equidē vos mirifice laudo, nuſquā enim penis horas veſtras vnquam collocaſtis. Nam id profecto eſt de cōpoſito inter Eraſmianos conſtitutum, vt mei nominis nuſquam faciāt mentionem: ſic enim miſerrime atque perditiſsime deletū iri, ſin hoc aſtu, id quod de viris cum doctis, tum probis minime crediderim: inter vos de compacto geſtum eſt, vt quaſi a vobis exciderit, neque ille voluerit barbaro mihi, atque ignobili tantos theſauros communicatos: fidem veſtram equidem haud parum ſuſpicio: qui amico tam cōmode morem gerere voluiſtis. Ac mihi quidem homini non inhumano facile fuit, non ſolum altercationis ſtudia, verum etiam memoriam deponere inimicitiarū, quas cū Eraſmo ſuſcepiſsem. Quoniam, qua id cauſsa factum fuerat, abolitū eſse videbatur. Abſtinebat iam ille, ſiue metu, ſiue alio cōſilio, nihil ad nos: abſtinebat tamen ille a religionis noſtræ vulneribus refricandis, quæ ipſe auidiſsime intu